

Anonymus Oxoniensis
‘Antoninus Bassianus Caracalla’

Tragoedia
(ca. 1618)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Mai 2008

Personae

Antoninus	Imperator
Geta	Imperator
Iulia	mater Imperatorum
Papinianus	Praefectus
Chilo	Praefectus
Maternianus	Patricius
Pompeius Asper	Consul
Iulius Asper	Consul
Messala	civis
Sabinus	civis
Laetus	
Rufus	
Audentius	
Macrinus	
Maesa	
Martialis	
Agrippa	
Rhetianus	
Nemesianus	
Senatus	
Populus laureatus	
Lictores	
Milites	
Assecla	
Venefica prima	
Venefica secunda	
Getae Vmbra	
Vmbra Commodi	
Vmbra Severi	
Nuncius Alexandrinus	
Pueri hymnum canentes	

Actus primus <Scena prima>

Intrant ex una parte

Antoninus, Geta; Iulia; Papinianus, Chilo *cum Severi urna*;
Maternianus, Milites, Asseclla

E regione

Pompeius, Iulius; Senatus, Populus laureatus, Lictores

Ant.	Tu, qui subacto rupe Tarpeia sedens Moderaris orbi, quosque ad Ausonios Lares Pietate notus sustulit Priami gener, Phrygii Penates; tuque, quam mundus colit, Vrbs domina rerum; vosque terrarum omnium Proceres: avete. vestra dum signa horruit, Britannia Latio terra succubuit iugo.	5
S., P.	Superum, precamur, servet Augustos manus.	
Mat.	Pacemque meritis donet et donet sua Moderare sceptra mente non ficta, precor.	10
Geta	Dignas Senatus gratias votis ferat Dignasque populus; sed quotus nostram deus Curat salutem! iacuit, en, mundi salus, Solusque superum cura, deliciae omnium Amorque coeli. parcite humanis, precor,	15
	Superi, querelis; vix satis constat Iovem Potuisse fatum regere, cum fata obruant, Quem sic amavit Iupiter: cineres sacri Crimen deorum, sic quod insolito stupet	
	Torpore, coelum totaque humanas preces Oblita superum turba feriari incipit.	20
	Vos este nostri praesides, vestram diu Servate Romam, nullaque hostilis manus Romana vertat tecta, ne forsitan tuae Moveantur urnae.	
Pomp.	tanta ne metuas mala; Non templaque et urbem solus hic servat cinis, Sed et ipse melior spiritus, numen Iovi Superisque iunctum, cui, quotum faceret deum	25
	Dubitante coelo, maluit tandem patris Sedem Quirini tradere, ut Romam pari	
	Vterque cura servet. hoc postquam pius Novit Senatus, numini sacras novo Decrevit aras templaque et aurata inclyti	30

	Simulacra vultus; cuncta sacrato patri Vterque princeps dedicet. nostra interest Placare tantum victimam et votis deum.	35
Chil.	Bene est, paretur. cura nos eadem movet, Cum damna moveant paria; tentemus deos: Vnita citius vota placatos dabunt.	
Iul.	Si potuit ullum mentis humanae favor Fecisse numen teque sincerus favor In astra, coniux, retulit, has viduae preces - Forsan supremas - aure propitia imbibe: Dissentientes reprime natorum manus Patriamque bellis eripe et cives metu. Quod si potestas tanta tam subito tibi Adhuc negatur, voce sollicita Iovem Phoebumque et omnes sume in auxilium deos. Dilecte coniux, hoc opus dignum tua est Victrice dextra, quod simul toto indiget Authore coelo.	40
Ant.	desere immeritos nimis, Mater, timores; odia iam tandem excidunt Iraeque nostrae. frater, amplexus mihi Da non timendos, digna praestetur fides Amorque nobis dignus. at tempus monet Chari supremas ducere exequias patris.	45
	<i>Exeunt suo ordine, urnamque exeuntes gestant Consules.</i>	50

<Scena secunda>

Messala, Sabinus

Mess.	Abiere cuncti. iamque mendacem timor Cogit Senatum, praeda venalem trahit Populi catervam sordidam, turpem, impiam, Vt laude dominos evehant ficta novos Veteremque, quem vix Roma sustinuit, virum	60
	Coelo receptum terra formidet magis Magisque saevum sentiat. quo tam impio, Romana tellus, scelere laesisti deos, Vt, quando superis tota barbaries sacras Tam rara faciat victimas, sola urbium Tu misera coelo tot deos tanquam annua	65

	Tributa solvas? cumque tot facias deos, Miserae deorum nullus auxilium ferat?	
Sab.	Vtinam Severum tardior fati mora Donasset astris, sit licet nimium ferox! Iniqua miseram fata si statuant diu Servire Romam, tutius domino tamen Serviret uni. quando diversa imperat Vterque princeps, mente discordi feros Movent tumultus; aequa pax victum caput Galea recondit, tollit armorum impetus Et fas et omnem iuris humani fidem.	70
Mess.	Adeone saevi dira progenies patris Sese ipsa cruciat? tantus est fratrum furor? Quae sit simultas, odia et irarum omnium Quae causa, et ipsum pande, si poteris, modum.	80
Sab.	Nunquam unus istis animus aut mens aut fides, Ex quo susurros lingua pueriles dedit Nondumque stabiles corpore enervi pedes Vtrisque pronum manibus aptarunt gradum. Crevit simultas tempore, et tandem viros Saevior Erinnys, gravior exagitat furor. Caracalla, fratre scelere qui pariter fuit Natuque maior, avidus imperii, suum	85
	Struxisse plures fertur in fratrem dolos; Tamen ipse varias fratris insidias tulit Vivo parente, quodque mirandum magis, Ipso ferente. dextra nam quoties patrem	90
	Scelerata petiit, dextra Caracallae tamen! Immane facinus! quoque non maius tulit Natura monstrum, tale quod Pluto horreat, Natus paterno polluit fato manum;	95
	Miles peremit principem, et tanquam forent Minus ista sceleris, sanguinem fratris petit, Patriae ruinam, fata ni melius cadant. Sed ecce, Consul funere expleto venit;	100
	Praefert stuporem gressibus, vultu metum.	

Intrant Lictor et Consul, Iulius.

<Scena tertia>

Lictor, Iulius, Messala, Sabinus

- | | | |
|-------|---|-----|
| Con. | Propera citusque templa Concordis deae
Petere memento; victimam iussu meo
Paret sacerdos, sacra facturum statim
Pro pace dicas publica. acceleret, iube.
<i>Exit Lictor.</i> | 105 |
| Mess. | Video, Sabine, meque non minimum dolet,
Quod facta non est tanta pernicies ducum;
Hoc, hoc Senatus, populus et Consul timent. | 110 |
| Con. | Tarpeie genitor tuque Romulidum sator,
Manganime Mavors, mater Iliaci ducis
Et, qui superbas flantium fratrum minas,
Aeole, retundis; vosque fraterni inclytum
Exemplum amoris, sydus alternum poli:
Inhibete fratrum tela et iniustas manus,
Inhibete fraudes; non erit tanti immemor
Romana tellus muneris, vestris feret
Vrbs tota templis, quicquid Imperium dabit.
Mactata vestras pondere immenso hostia
Lassabit aras, vota dum miseri ferant. | 115 |
| | Atque ecce, cives sanguine insigni satos,
Qui forsan ipsi nostra firmabunt suis
Promissa votis, precibus hos iungam meis.
Adeste, cives urbis aliquando inclytæ,
Iam iam cadentis; saeva pernicies adest,
Peiusque nostris moenibus fatum imminet, | 120 |
| | Quam si superbae tecta Gallorum faces
Iterum cremarent vel novus portas metu
Merito trementes Poenus excuteret manu. | 125 |
| | Quare, agite, requiem civium, pacem ducum
Rogate superos; populus hoc unum roget
Optetque totus, precibus accedant preces
Et vota votis, nullubi numen vacet
Sine sacra ad aras victima, cunctos deos | 130 |
| | Pariterque populos publica haec teneant mala. | 135 |
| Sab. | Pro pace regni proque concordi omnium
Salute nostras sydera et coelum preces
Sonitu frequenti sentient, voto pari
Plebs tota cunctos sponte placabit deos. | 140 |

Con. Agnosco, vulgi studia quo pacem petunt
 Inimica belli, sed tamen populi preces
 Geminentur omnes; quaeque sunt vota omnium,
 Sint singulorum. iamque supremum Iovem
 Simulque reliquos ipse venerabor deos
 Visamque templum, cuius in sacro sinu
 Parata nostram victima expectat manum.

145

Exeunt omnes.

<Scena quarta>

Papinianus, Chilo

Pap. Iterumne, superi, terra nutritas feret
 Cruore fruges? totus ad manes cadet
 Laceratus orbis? saeva Tisyphone suos
 Satiabit angues sanguinem nostrum bibens?
 Genitor Quirine, tale quid tandem tui
 Meruere cives? nec tamen requie nocet
 Caruisse tantum, grande iam factum est nefas
 Optasse requiem. perge sceleratum caput,
 Caracalla, perge: caede fraterna necem
 Dele paternam, sic scelus scelere obrue.
 Ego non repugno; non feres verba amplius
 Precesque nostras, sed feres fulmen Iovis.
 Sator deorum, tale si quicquam paras,
 Iam iam corusco fulgere elisum sonet
 Super astra coelum; flamma iam saltem voret
 Hunc, quem vor<asse> debuit dudum tua.
 Si, fata, totum principi regnum dare
 Statuistis Vni, principum pereat, precor,
 Solus duorum, qui fuit semper magis
 Perire dignus; fulmine at pereat Iovis,
 Non fratris ense.

150

155

160

165

Chil. mitte nunc surdum Iovis
 Lassare numen precibus. hos nostrum nefas
 Meruit tumultus; principis fatum pii
 Tales paravit principes, tales dedit.
 Pap. Illustris Helvi, militum infelix manus,
 Quae te peremit, caede Caracallae abstinet.
 Ignava tellus! liberum Romae decus
 Et magna virtus gentis antiquae perit.

170

175

Improba! futuris saeculis tantum tibi
 Nunquam vetustas immemor donet nefas.
 At ecce, mater sceleris infandi venit,
 Vix impotentes saeva quae cohibet minas.

<Scena quinta>

Iulia, Papinianus, Chilo

Iul.	Si cadere oportet, sentias subitam tamen, Fili, ruinam, caeca sit saltem tuae Mens nostra caedis; fata metuentes mala Meliora sperent, neve per dira omina Ventura certam fata praedicant necem.	180
Chil.	Quid hoc? ruinas omina infausta indicant? Aggrediar ipse fata lacrymantem sua. Adhucne flendam coniugis chari necem, Augusta, luges? an novus vexat dolor Dudum dolentem? luctibus poteris tuos Sociare gemitus, dum tuos noscam, meis.	185
Iul.	Non me peractae iam dolet, Chilo, necis, Sed iam futurae, signa quam Romae magis Manifesta monstrant quaeque nos terrent magis, Quam si stupente tam novos populo sonos Fauces resolvat murmure humano pecus. Nam quando paci sacra Conscripti Patres Facienda et omni vota statuisserent deo, Tandem profecto Consule, ut sacram deae Litare possit victimam, quaerit diu.	190
	Vbi sit sacerdos, quosque sacrificus rogat, Vbi Consul. at nec Consulem infaelix tamen Reperit sacerdos, nec sacerdotem potest Reperire Consul. credo pacificam deam Renuisse populi sacra, ne forsitan queat Sperare pacem populus; at sperat tamen.	195
Pap.	Modo vos paretis, ut bipartitum regat Vterque regnum; vestra firmabo meis Consilia precibus: una spes populi sumus. Tibi nos fatemur: nulla spes populi sumus. Nullam salutem nostra vox populo dabit, Indigna miseris odia dum nobis damus.	200 205 210

- Iul. Prudens bonusque publico attonitus metu
Privata nescit damna, sed vadit lubens
Medios per enses, qua per indubias via est
Quaerenda caedes, fata si populi iubent. 215
Num tu dolores deseris, Chilo, meos?
- Chil. Desero, nec ulli verba succurrent mea.
Indigna factis odia quae dudum tuli,
Tandem merebor.
- Exeunt Praefecti.*
- Iul. misera quo gressus feram?
Vndique reicta, quod queo, pacem tamen 220
Sperabo nullam; forsan hoc pacem feret.

Actus secundus

<Scena prima>

Antoninus, Laetus, Rufus, Assecla

- Ant. Egone mundi caput? et Ausoniae potens
Dominator aulae? nobiles tot sunt mihi
Populi? tot enses muniunt stricti latus?
Et ab hoste vincar nullo? et enervis feret
De me triumphum? victor ingenti manu
Fregi potentum sceptrum, sublimi pede
Calcare didici colla; spatirosus mihi
Famulatur orbis, nec satis terrae patent:
Famulatur unda. numen invisum Iovis! 225
Et adhuc inertes regis ignavi manus!
Terris, tyrannis et triumphato mari
Obstabit unus? magne divisorum parens
Hominumque terror, cur meum vano caput
Fulgore tectum reddis? et falso comam
Vinclu nitentem? regna si placuit dare,
Dare sceptrum placuit, digna cur sceptrys negas?
Et iura regni tollis? ut, quicquid velit
Rex, fiat; illi quicquid et placuit, ferat.
Nam vasta quamvis regna, quod nobis manent, 230
Donum fatemur esse divisorum, tamen
Inferre nostri iuris est sceleri necem.
Depone fulmen, Iupiter vindicta, sacrum,
Depone vires; ignibus parcas tuis.
Haec facta praestat, melius haec semper manus 235
Votum spospondit. stulte, cur metuam deos,
Quos ipse metuens facio? quid superis meas
Mandabo poenas? quos premit, certe facit
Haec ira miseros, sed premens miseros facit
Humana nullos. ponat has animus minas,
Et, saeva quoties in meam rabies necem 250
Armat ministros, ut minus cautum premant,
Radiantis auri fulgor infidus meo
Praelucet hosti, quo manus nequeat ferox
Errare; nudum lateris hoc ipsum mei
Ferrum timetur, totus ego mihi metus. 255
- Laet. Magnanime Caesar, numen a summo Iove
Nobis secundum, nulla si patitur sui
Socium potestas et nequit tanto manus

	Vacare sceptro, nescius flecti rigor Expellat hominem, frater ut certo cadat Transfixus ense, cuius accensas cruar Extinguat iras; nec levis veniat tuo Ruina regno: tela, flammas, vulnera Et anhelet ira sanguinem. in istis cadat Structura dominis, obruat templum deos; Patriaque fiat nulla, dum fiat tua.	260
Ant.	Agnosco, Laete, vera, quae, fateor, mones. Nisi cito rumpit lucis invisae moras Transmissus ensis, peragat et sceleris reum Aequata poenae culpa. vae, misero mihi Quoties necesse est fallere? aut quoties meo A fratre falli? semper agitabit fides Violata regni, semper a tergo timor Respicere coget; patiar? hos patiar metus?	265
	Non sic abibit ira, non lente mea Spectabo inultus fata, at invadam, irruam, Scelus antevertam scelere. quid? langues, manus? Facinusque coeptum refugis? o si quid tui Superest vigoris, anime, nunc aude, incipe,	270
	Aggredere fratrem. quicquid est actum hactenus, Merui ferendo; si quid ulterius mali est, Merui iubendo. dum nimis latus, piger Et inultus erro, facinus accerso novum Novumque iubeo scelus, et immeritus mei	275
	Faber ipse fati.	280
Laet.	quaestibus vanis tuas Abrumpis iras; fata, si placeat tibi, Meliora facias. dum viam quaerit furor, Ruina sternit. surge et adversa impetu Perfringe solito. debita par est fide,	285
	Vel fratre careas: tutius frater luat.	290
Ant.	Ambigua suades: magna vis caedem iubet Et magna prohibet. si neco, matri grave est; Nisi neco, mihi met. misera quid pietas agat?	
Laet.	O lenta nimium principis nostri manus Et ira patiens! sanctitas, virtus, fides Et cura iuris, haec erunt tanto bona Indigna regno. facere tibi liceat nimis, Quodcumque facies; sceptrum confirmat metus	295
	Et ira ferri. rumpe fatales moras Animasque segnes! coepita quid differs tua? Facilemque credis rebus incertis fidem Fratri atque regnis? antequam crescat, recens	300

	Reprimenda flamma est; latius serpat malum, Remedia vincet.	
Ant.	i propera, puer: Accerse Rufum.	305
Ass.	iussa perficiam tua Statimque adibo.	
Ant.	magne divorum decus Hominumque vindex, Hercules, adsis, precor; Animosque redde, certius fratrem ut premat Citiusque Rufus.	
Ass.	adstat et, siquid velis, Expectat.	310
Ant.	ipse, quod velim, scias. Frater premendus, ense iam tandem tuo Frater premendus, Rufe; pars haec est tua. Ignave, dubitas? facis? an haec faciet manus, Quod tu recusas? non feram ulterius moram:	
	Aut pereat aut me perimet. ancipiti scias Vitamque in arcto stare, et hanc animam levem In ore primo teneo. quid? cessant manus? Ingensque metuunt facinus? adeone excidit	315
	Totumque nullo scelere consumptum est scelus? Imperia ferre citius inducam Getas, Quam Geta pereat unus. incassum tuas Cur lente casses tendis? et toties novas	
	Connectis artes? temet utaris, miser, Et, saepe fieri quod nequit, fiat semel,	320
	Sed fiat. istud agere iam libeat tibi, Quod olim oportet; victus at pereat licet Victorque spolia fratris occisi feras, Frangenda palma est. facta diminuit mora,	
	Tempusque iustum ni carent, fructu carent.	325
Ruf.	Irata, Caesar, dicta compescas, precor; Male properanti verba sunt irae data. Poenamne celerem fratris occisi petis? Ne metue, dabitur magna. vindictam petis?	
	Confide, dabitur horrida. id lentum putas? Datur. an et illud? iam datum morti scias.	330
	<i>Exit Rufus, et sequitur Laetus.</i>	
Ant.	Quin, Rufe, properes! perge, dum fervent manus; Et tu secunda, Laete, faelici exitu, Meliora donec vota concipiam Iovi. O qui potente fata moliris manu,	
	Supreme genitor, cuius excussis tremunt Humana telis, cuius expulsus manu	340

Tibi iusta saevus regna concessit pater;
 Et tu, Quirine, gentis Ausoniae sator,
 Nepos Tonantis, cuius imperio fuit
 Fundata fratris sanguine Imperii salus:
 Favete coeptis. certius fratrem premat
 Perimatque ferrum, quam solent certo feras
 Emissa nervo tela; sic largo sacer
 Splendescet ignis thure, sic grates agam
 Iove meque dignas. intus at subito labant
 Agitata motu tecta; quid strepitus velit?
 Audimur. en, en, capta praecurrit fera,
 Sequitur premitque Rufus, ut lepores sagax
 Venatur agris catulus et presso vias
 Vestigat ore, dum procul lento feras
 Odore sentit; praeda cum propior fuit,
 Clamore dominum laetus invadit suum.

<Scena secunda>

Geta, Antoninus, Rufus

Geta Perimus. eheu, sanctior coeli cohors,
 Miseri perimus; quodque me torquet magis,
 A fratre videor. rector astrorum potens,
 Adhucne vultu Cinthia sereno nitet?
 Iterum nunc fax redibit? optatum tegens
 Vultus pudorem, lumina inducat sua,
 Et saeculorum lege contempta diem
 Retardet aether; noxque luci debitum
 Fruatur horis. tuque, supremum sinu
 Potura tellus sanguinem, in vasto specu
 Reconde, nigri carceris Pluton fores
 Laxet superbus: quilibet capiat locus,
 Sed ante mortem; qualibet peream manu,
 Nec ante frater feriet.

adeone integre

Ant. Mentem fateris? grande perdideram scelus,
 Nisi sic timeres. perge et hoc, anime, occupa
 Viresque prome totus et timidum mori
 Invade citius; frater ut rite occidat,
 A te petendus ensis. heu, dextrae cadunt
 Adhuc inulta? segnis atque ibit dies,

	Tanto paratus ambitu, tanto datus? Ibo, ibo et ingens manibus excutiam scelus. <i>Accedit et pugione traicit.</i> Haec tecum dona, frater, ad manes feras; Sic, sic eundum est: verbere illiso sonet Inane pectus, hi decent ictus manum.	380
Ruf.	Occubuit ingens hostis et captus iacet, Qui capere vellet; regna nunc speret tua.	385
Ant.	Bene est, abunde est; iam meas laudo manus Animosque veteres. ense fraternum caput Iuvat, iuvat rapuisse et augusto manum Spoliasse sceptro. vasta qui temere modo Speravit orbis fraena et exhaustas opes Mundi ruentis, victus, en, cecidit suo Calcandus hosti; vixque terrarum Iovi Tantilla superest terra. quam vere meus Triumphat animus scelere! quam certam tulit Vindicta caedem! quodque plus hilarat, fere Videndo periit, qualis audito tener Fremitu leonis agnus incertus, pavens Mortem metu consumit et parum sui Poenae relinquunt.	390
Ruf.	ponat hoc inter suas Timidus miserias; multa pertulerit licet, Timendo plura patitur, accrescit dolor, Ipsoque fato gravior est fati timor.	400
Ant.	Non hunc timorem mortis incussit timor. A me profectum sensit: est idem necis Author metusque; non tamen caderet manu Nostra peremptus, cadere nisi timuit manu. Sed en, per ipsam, qua patet pectus, viam Effusus amnis; gentis exitium sacro Piabit imbre, quosque commovit ferus Patria<e> tumultus, sanguine extinguet suo.	405
Ruf.	Vtinam expiandos una mors saevos daret Patriae tumultus! in dies crescat malum, Nova monstra surgent, facere ceu moriens solet Numerosa Lernae pestis et vitam capit Pereunte vita.	410
Ant.	Rufe, ne metuas malum. Vt arbor umbris clara, cum toto iacet Succisa truncu, moritur et sylvas trahit Secum minores, ille sic moriens suam Premet catervam; quosque perfidiae pares Socios habuerat, faciet et poena pares.	415
		420

- Ruf. Sed fare, Caesar, ista quo fiant modo?
 Ant. Vulneribus, igni, morte, cruciatu, fame;
 Fas est in illos, quicquid in fratrem est nefas.
 Ruf. Quae tuta sedes interim corpus teget?
 Ant. Iam fine posito, poena quem fecit gravis,
 Natura tandem valeat; et tellus parens
 Exanime placido corpus accipiat sinu.
 Sed haec ad umbras, ultima haec secum ferat
 Fraterni amoris signa.
- 425
- Ruf. *quid demens agis?*
 Ant. Saevire in ipsum corpus exanime impetus
 Atque ira cogit. tolle et hoc purgans solum
 Mihi me relinque, precibus invadam deos.
- 430
- Exit Rufus cum cadavere.*
- Supreme mundi genitor et genitor mei
 Mavors Quirini vosque, qui hoc facinus mihi
 Superi parastis, vosque, qui hoc ingens scelus
 Superi patrastis, vos precor: fausto alite
 Caracalla primos duxit ut tutus dies,
 Ita molle senium ducat et nullos timens,
 Omni timendus gaudiis foveat suis.
 Haec dum precabor, militum interea ferox
 Et sueta praedae turba majori feret
 Rabie tumultus; ibo, compescam omnia.
- 435
- 440
- Exit Antoninus.*

<Scena tertia>

Iulia *sola*

- Iul. Faelix sit omen, sed meus semet timens
 Nescio quod animus refugit; at refugit, scio,
 Aliquid, quod aures pepulit infaustus meas
 Notusque nati sonus, at haud, qualis fuit,
 Cum voce mundi fraena moderaret sua,
 Sed fessus ac deiectus et fletu gravis
 Similisque nostro. nate, si vivas, precor,
 Succurre, nate: libera matrem metu
 Animamque morte. sed quid hoc? turpis crux
 Sparsus per ipsos undique infecit locos.
 Deprena causa est: perdidit regnum Geta,
- 445
- 450

Periitque regno vita. vae miserae mihi!
 Quae verba, quae lamenta, quos planctus dabo? 455
 Moderator orbis, si nec ignavus vides
 Humana, si te fulmine armatum truci
 Digne timemus, Geta quid meruit tuus?
 Quod tale patitur facinus indignum, impium,
 Nondum repertum? caede Diomedes equos
 Pavit feroce, caede at hostili fuit; 460
 Avidosque tinxit sanguis humanus focos,
 Sed hospitalis. sceleris hoc plus quam scelus
 Exempla vicit. testor infernum Iovem,
 Testor supremum, vincat ut poenae modus
 Exempla poenae. non hoc a superis petam 465
 Supplex ad aras - haud enim superis locus
 Superest scelestis. quin deas Erebi precer
 Erebumque totum, si preces flectunt deas,
 Si punit Erebus scelera, ut huic poenas pares
 Remetiantur? quae tamen poenae pares? 470
 Nisi tot in unum genera lassantur, nisi
 Vrnam Danaidum, Sisyphi saxum gerat,
 Et fiat uni poena, quae mundo sat est.
 Sed quo feruntur odia? commotae impetum
 Cohibere durum est mentis. at gressus ferens 475
 Huc properat aliquis; iam licet contra furor
 Odiumque suadet, odia, quo noceant, premam.

Intrant Papinianus et Chilo.

<Scena quarta>

Iulia, Papinianus, Chilo

Iul. Salvete quondam famuli, at aerumnis pares
 Salvete socii. vestra quod maestus dolor 480
 Dilecta foedat ora, quae vestri, precor,
 Est causa luctus? urbe quid fertis novi?
 Pap. Senioris aevi decora, quae fari iubes,
 Tacere suadet ratio: dum scire expetens
 Nescisse cupies.
 Iul. perge, ne parce auribus. 485
 Dicenda finxit conscius facti timor,
 Audire quicquid valeat. effusus Getae
 Si regna fratriis tinxit infidi crux,

	Effare, nostros tam graves imple metus Aut solve.	
Pap.	periit, habuit eventum furor Damnatus, astris quodque debuerat scelus Et terra fugere.	490
Iul.	proh diem, infaustum diem! Qui tot nefandos hostis evasit dolos, Qui fata vicit - fata dum Parcae mora Timuit peragere, segnis et trepida colos Clotho manu proiecit -, hunc vitae brevis Extinxit hora, brevior et vita sui Fortuna regni. pande iam totam simul Faciem malorum, fare, quis poenae modus Authorque poenae. gestit intrepide meus, Quod horret, animus scire, quod pectus fugit.	495
Pap.	Abeunte Phoebo fusca nox orbi nigras Induxit umbras, venit afflito quies, Somnusque trepidis serus obrepsit genis, Cum subito fessum Rufus invadit, suo Metuendus ore: non ut abrumpat, venit, Requiemque tollat, morte sed ut ipsa brevis Mox protrahatur somnus et vasto specu Accipiat ingens noctis aeternae Chaos. Extemplo somnum natus excussit tremens Lectumque fugit, ut pavens viso solet Vitula leone. quo tamen properat miser? Quo tendit? ambas hostis occlusit vias, Scelus in utraque est: Rufus a tergo premit,	500
	A fronde frater. facta cum vidit Geta, Coelo supremas tendit erepto preces Luctuque forti totus incumbit malis.	510
Iul.	Cessate, matres, planctibus natos piis Lugere; in uno nulla tot misere parens Lugenda tulerit: illa, quae toto stetit Succisa fato bisque septenos greges Deplanxit una, gregibus aequari meo Huic nequeat uni. periit haec, periit suis Phoebi sagittis, traxit et magnum gravi Decus ruina; sed meus cecidit viro Viroque fratre. dirus o coeli pudor!	520
	O turpe funus! haec tamen maerens tibi Monumenta ponam; nulla progenies mihi Producta melius, nulla non melius perit.	525
Chil.	Quid horret animus? quid stupet? poenae gradus, Non finis hic est; pergit immanis furor Scelerisque in actu maius invenit scelus.	530

- Iul. Eloquere, Chilo; misera, iam didici mala
Toties ferendo, misera, ne noceant mala.
- Chil. Postquam scelestum Laetus instruxit nefas,
Rufus peremit, non velut torvus leo,
Cui, parta sylvis praeda cum supplex iacet,
Prostrasse satis est, sed truci frater ioco
Exanime scindit corpus et sacro ferus
Ludit cruento, corporis donec pius
Miseratur hostis et suo mandat solo.
- Iul. Adesto, nate, vel semel fiat licet;
Adesto, turpem segnis obiisti necem
Et nunc iaces inultus? immani specu
Stygis revulso surge: terrebunt tuae
Fratrem vel umbrae.
- Chil. nobiles frustra Getae,
Miseranda, manes poscis: infernis subest
Ne minima superum cura. supernos pete;
Quo sera veniet poena, eo gravior venit.
- Iul. O morte fili gravior! o nullo dolor
Contente spatio! rector in coelo soli,
Da, da, meorum ut aevo transcendam patrum:
Non funus istud lugeam digne satis,
Nisi tot in annos tristis extendam dies.
- Chil. Iam parce, mater, luctibus iustis quidem,
Sed temperandis: neminem miserum brevis
Fortuna faciat; similis insontem licet
Sontemque maneat terminus vitae, tamen
Male morietur nemo, qui vixit bene.
- Iul. Agnosco dicta, mente quae profers pia.
Morientur omnes; quique supremum petunt
Mortalis aevi cardinem, hoc prudens iis
Differre, non vitare dat fatum deus.
Sed pepulit aures cursus haud longe pedum.
Et ecce, venit carnifex: cuius timet,
- 535
- 540
- 545
- 550
- 555
- 560
- 565
- Intrat Antoninus cum caeteris.*

sed abibo, mei
Melius ut abeat pectoris maesti dolor.

<Scena quinta>

Antoninus, Maternianus, Chilo, Audentius,
Papinianus, Macrinus, Milites

Ant.	Cum fausta coeli cura, cum divisorum cohors Veneranda amicos hinc et hinc posuit meos, Sacris colamus prosperum nobis diem Nobisque laetos, attamen lertos deos. Vltrice dextra fusus est hostis meus Patriusque fusus; et nihil superest mihi, Nisi hoc timendus noscat ut populus novi. Vos, vos precamur, nobiles plebis duces, Vt vester iste fiat haud minimus labor.	570
Pap.	Mundi Imperator, mortuo quisquis nocet Quamvis nocenti, peccat; at iustum probris Quicunque lacerat, perdit iniuste probos.	575
Ant.	Depone timidas mentis infidae notas. Nisi iussa facitis, citius, ac dico, mea Ruet ira in omnes; hostis est, quisquis meum Non monstrat hostem.	580
Pap.	quid? satis non est tibi Egisse facinus, sed fidem tanto cupis Superesse sceleri?	
Ant.	fare tu, Chilo: mea Mandata perages?	585
Chil.	orbis atque urbis caput, Licuisse regi facere, quod cuiquam haud licet. Si iustus ornes, sin malus princeps feras, Superis uterque cura: non iustum deus Iniusta patitur ferre, quia similem iuvat; Nec premere iniquum liceat, hoc proprium est Iovis.	590
Ant.	Hinc auferantur, debitas poenas luant, Carcerque nigro teneat inclusos specu.	
Mat.	Quin morte celeri crimen admissum luant.	
Ant.	Delicta gravius plectitur populus, luit Cum morte lenta crimen et poenis meas Exhaurit iras. tollite infestos mihi.	595
	<i>Exit unus aut alter Militum, cum Praefectis.</i>	
	Tuque hos honores senior, Audenti, feras, Et tu, Macrine.	
Aud.	debitas solvat deus, Qui possit aegre, gratias, nolle tam	600

	Vacare saevo muneri, in dominum ruet; Graviusque honoris onera subeuntem premunt, Quando hoc honoris limen invidia patet.	
Ant.	Selecta mihi met turba, socialis cohors, Postquam nefande saeva dominandi sitis Artes nocendi peperit et nullos suo Fulgore tectos dignitas tutos daret, Infirma per se vita regalis, metu Sancivit istas, quas mali, leges, timent. Non ergo sponte, testor et fas et fidem, Toties petitus frater et toties meo Iussu; per urbem fluxit effusus crux, Sed vim, caterva proditorum contumax Ni patitur, audet. regna ut eripiam dolis, Saevire suadet ratio et invitum iubet.	605
	Eamus; aequa vos premat populi salus, Mihi cura subeat nostra, curabo satis.	610
	<i>Exeunt omnes excepto Materniano.</i>	
		615

<Scena sexta>

Maternianus *solas*

Mat.	Eheu Quirites, gentis antiquum decus, Imago Iovis aulae! quid hoc? in ortum suo Curru revertit Phoebus et claro die Nullaque sacrum nube praeductum caput In se recessit. dum furit fatum, ferit, Aetherque clades asserit maerens novas. Haec dira coeli monstra comitantur tuos, Macrine, honores. qui metu turpi pavens,	620
	Lingua refraenas hostium armatas manus, Lingua potiris, grande partiris decus; Ego dum pruinias hyemis, Arctoos gelu, Nimbos aquosos pertuli, Alpinas nives, Experta cuius alta Severo fides,	625
	Honore nullo dignor exhausto penu. Sic qui meretur, maeret; est peior prior. Feresne inultus dedecus et tantam luem Virtutis, Orcum decoris, actorum probrum?	630
	Iubet ferire, qui dabit pugnae caput; Iuvat perire, qui parat ferro caput:	635

Vlsciscar. aequum, ius, fides, virtus, pudor
Regnante profugae, quis mea vobis casa
Locus relictus? norma rex vitae meae:
Fratrem ille necavit, solus ut sceptrum gerat; 640
Illum ego necabo, quo minus sceptro premat.
Exangue subito cur tremit corpus metu?
Amor parentum subiit, ornatus sacer
Avi fidelis, stirpis atque ingens meae
Caterva, cuius perdet hoc unum nefas 645
Famam: vigebit potius infaustae domus
Ruina, terrae pestis et populo gravis,
Quam me cadente caede condigna cadet.
Caput mederi non recidendi modus,
Sed alligandi; philtra tentabo mea,
Vincam emerendo, forsan evincat dies. 650
Atqui merendi melior haud restat via,
Firmare quam si poteris imperium viro,
Spem cuius auget multa natorum cohors.
Hac, hac honoris limen intrabo via.
Taedas inire tentat, at nondum parem
Invenit; ibo, blandus affabor ferum:
Mater reicta est vidua, ditatur satis.
Hac aucupabor; precibus adspires, Hymen.

Actus tertius <Scena prima>

Maternianus, Maesa

- | | | |
|-------|---|-------------------|
| Mat. | O blanda regni pestis! o nimium potens
Fortuna regum! quos deus votis favens
Fecit timendos, vota maiori metu
Fecere timidos; et, velut reliquis caput
Membris recisum, nec suo fungi queant
Nisi per ministros iure nec retinent sua
Nisi per ministros regna. quam fragili loco
Fortuna per se posuit, immensi dedit
Documenta mundi terror et populi arbiter
Ingens Quirini, cuius imperium manu
Sua petitum est nec tamen stabile est sua.
Adhibenda regi cura popularis, cohors
Adhibenda procerum; sola nunc lapsas valet
Reparare vires iuncta regali face
Thalamisque Iulia. hoc tibi incumbit scelus,
Ad haec manus mandata poscantur tuae. | 660
665
670 |
| Maes. | Consilia luctus spernit, atque ingens dolor
Flecti recusat; vivit ante oculos recens
Imago caedis, spirat et vulnus novum
Adhuc cruentem. tempus haud laetis vacat,
Male nuptialem praefrerunt manes facem. | 675 |
| Mat. | Quam fuerit istud grande, quod petitur, scias:
Hinc cura suadet publica, hinc regis satus,
Vtrinque patria. perage constanter nefas;
Negare docuit verba, qui timide rogat. | 680 |
| Maes. | Iussa haud morabor, tota sed quatior metu
Trepidumque dubio pectus eventu labat. | 685 |
| Mat. | Quid metuis? ista facere sic melius putas
Timendo? ponat iusta, qui ma<gnis rebus>
Mandata regum turpis haud peragit pudor. | |
| Maes. | Discedo. | |
| Mat. | perge, Maesa, faelici alite.
Vota ut secundent, precibus invadam deos.
Oriunda ponto diva non miti, precor,
Et tu renidens igne furtivo puer
Populansque venas, huc ades coeptis favens.
Innecte mentem, torva et aversa et ferox
In iura Veneris redeat. huc vires tuas | 690
695 |

Intende; certa spiculum velox manu
 Non e sagittis levibus, at nervo, puer,
 Graviore profer: non levi telo est opus,
 Vt amare possit Iulia. o coeli pudor,
 Quantum subire cogimur! quales metus
 Perferre! quanta facere! quos gravior premit
 Dominus, nefandum cogit imperium sui
 Tam ferre quam laudare; et, arbitrio levi
 Quicquid iubebit, nemo non eadem iubet. 700
 705

<Scena secunda>

Maternianus, Maesa, Iulia

- Maes. Quid ista frontis ruga? quid lacrymis genae
 Squalent madentes? melior aggreditur deus
 Miseram tueri teque te digno parat
 Ditare thalamo. quaere iam cultus tibi,
 Quos nupta cupiat quosque regina imperet. 710
 Iul. Quod maesta corpus vestis infaustum tegit,
 Hoc misera poscunt fata; quod fugio novi
 Thalamos mariti, suadet hoc senium mihi.
 Maes. Non castus annos curat aut vultus amor,
 Interna penetrat; sic suo mulier viro
 Tunc, cum senilis fuerit, haud visa est anus. 715
 Iul. Quin fare, Maesa, quis meos cupiat toros?
 Maes. Qui novit istos optime faustos dare,
 Caracalla petiit. ille te, tu illum potes
 Beare; et proli Roma succumbat tuae. 720
 Iul. Egone mater patris et nati toros
 Violabo? egone liberos pariam viro
 Ac mihi nepotes? summus avertat parens!
 Gravida planetas antea tellus dabit,
 Dabit aura plantas, ante ab extremo sinu
 Hesperia Tethys lucidum attolet diem, 725
 Quam victa precibus anima succumbet tuis.
 Maes. Pone impotentes mentis effraenae impetus:
 Leaena simili gaudet et gaudet suo
 Iuvanca patre; quasque produxit caper
 Pecudes, honesto non semel coitu premit.
 Natura leges tribuit humano nimis
 Generi malignas, quodque libertas parens 730

- Melior remittit, gravior haec prohibet parens.
 Quid, quod sorores dii suas vinclo sibi
 Habuere iunctas? nupsit Oceano Thetis,
 Iuno Tonanti: cur ab exemplo deum
 Finxisse mores pudeat humanum genus?
 Iul. Exempla nobis bruta non aequum est dare;
 Sed quae deorum loqueris, imitari pium,
 Negligere iniquum est: quod Iovi, hoc nobis licet. 735
- Maes. Macte, obstinatus induat fraenos amor
 Atque odia mutet. si tuos claudant dies
 Sine prole fata, Iuliae nomen feret
 Vnius aevi turba.
- Iul. quam gravis motus rapit! 740
- Variamque nunc <huc> odia, nunc illuc amor
 Ducunt trahuntque! fervor at periit meus,
 Odiumque amori cedit. o nimium potens,
 Quanto parentes sanguinis vinclo tenes,
 Natura! quam te veneror! optavi, dea,
 Modo quem perire, misera, depereo virum. 745
- Sed ante festos quam paret tempus toros,
 Cineri litetur sanguine effuso Getae,
 Litetque Laetus: cadat in authorem malum,
 Et, facere quod non metuit, haud metuat pati. 750
- Dabitur, et, ipse Caesar haud statuat licet,
 Statusse credas; facta praestabit fides.
- Iul. Hac lege vincor. faveat auspiciis Hymen.
- Exeunt omnes.*

<Scena tertia>

Antoninus, Rufus, Assecla

- Ant. Quid me, potens Fortuna, fallaci satis
 Blandita vultu, gravius ut ruerem, nimis
 Alte extulisti? tolle hoc incertum decus
 Et honoris aufer onera. maiestas nocet,
 Nocet esse regem; poena nec gravior mihi
 Quam poena regni est. intimas quoties amor
 Penetrat medullas, pectore et nostro suos
 Accendit ignes, ignibus tribuunt novas
 Imperia flamas, hostis ut maius ferat
 Solito trophyaeum. coelitum testor fidem 760
- 765

	Hominumque iura, stare quam nequeant simul Amor et potestas! hoc iubet princeps? amor Negabit; ipse si negat princeps, amor Iubebit. aegras somnus invadit genas? Hic suscitat; proh coelitum excelsissimum Regumque regem! numen agnosco, puer, Agnosco vires: spiculis credo tuis	770
	Iacuisse mundum, dum tuis mundi iacet Dominus sagittis. mitius nostram tamen Vras medullam, mitius vinctum tuis Premas catenis. ipse quod cupias, habes; Vincor, nec arcu paenitet vinci tuo:	775
	Eximia nuptae forma, magnificum genus, Et rege virtus digna et Imperio fides. Adeone quisquam pectus armatum gerit, Quem non moveret? movit et vicit meum.	780
	Et quos revolvit pectori incumbens meo Amor tumultus! alitur et crescit malum Totumque superat, qualis Aetnaeo vapor Exundat antro, qualis et dubius furit Ventus, profunda Syrtibus tollens freta.	785
	Adeste, terra et Tartara et coelum et mare; Vos, qui tulistis vulnus et nostis deum, Adeste. qualis Scorpius, qualis sua Plaga revulsus Cancer infixus meos	790
	Exedit artus? summe proh mundi parens! Regesque quondam dexteræ testes meae!	795
	Morior, et ipsa durior morte est modus. Ruf.	
	Quid ista stupidus horror? quid mentis velit Non sana rabies? pectore excutias deum; Qui blandiendo dulce nutritivit malum, Sero reponat; semet aut tollat, graves	800
	Aut ponat aestus. sic faces facibus premas Et amoris ignes igne.	
Ant.	non noster suo	
	Si Tibris amne mergat, hoc vincet malum; Nec tota Tethys, per meas currens faces, Extinguet ignes. flagrat immersus suis Neptunus undis; quodque in hac clade accidit,	805
	Alet aqua flamas, quoque prohibetur magis, Magis uret ignis.	
Ruf.	at potens dominus sui	
	Aut vincat animus, brevior aut discat volens Memoria fugere.	
Ant.	dulcis ante oculos frequens	810
	Imago nuptae est; et nitens formae decus	

	Vltro fatigat. cur miser fugerem toros? Cur saevus oculos? sic amor penitus cadit Penitusque moritur? sic leves crescunt faces, Sic protrahuntur, qualis ardenti latens Scintilla cinere vivit et veteres capit Agitata vires; qualis et torrens suo Cursu morato languet, at rupto obiice Vndas resumit totque, quot cepit sinu, Effundit amnes. fraena laxabo mea. Sed quae minus secunda - non levior, scio - Maternianum causa detinuit diu?	815
Ruf.	Forsan secundi nuptias renuit viri Thalamosque dura spernit.	
Ant.	haud equidem reor, Vota ut recuset ac meos fugiat toros. Quod si superba mente mandatum neget, Nuptam ruina quaeram; et affectus meus Strictus iubebit ensis: immensus furor Iratus amor est.	825
Ass.	quem cupis, praesto est tibi.	
	<i>Intrat Maternianus.</i>	

<Scena quarta>

Antoninus, Maternianus, Rufus, Assecla

Ant.	Sint fausta verbis numina; amplexus mihi Redde expetitos, redde, quod portas novi. Quod scire quaerit animus, audire expetit.	830
Mat.	Sunt fausta certe numina, et votis favet Regina nostris; sed tamen fari pudet, Meique victor operis exemplum horreo.	835
Ant.	Quid hoc? timenda coelitum nobis cohors, Cum saevit et cum parcit, ex aequo mala?	
Mat.	Sic saepe donis assolent superi suos Beare amicos, sic solent morbis dare Graviora morbis. quod tuis gestit toris,	840
	Placet, proboque; non tamen munus placet. Innocua Laeti fata, et undantem petit Fundi cruentum. quando in inferias homo est Impensus homini? detrahe invidiam tuo Odiumque regno: quem cupis, poena est, amor.	845

	Quod si nefandus ignis extingui nequit Nisi per cruentum, fata, quae poscit, ferat.	
Ant.	Bene est, abunde est; iusta persolvam Getae Matrique vota. dummodo victa fruar, Cruore mersus ibo et ascendam meos Per corpora toros. concidat regni status, Mihi nupta regno potior et populo mihi.	850
Ruf.	Si non fugit te, Caesar, hoc monuit sacri Cortina Phoebi, hanc sibi ut nuptam daret Mundi Imperator.	
Ant.	vana proh superum fides! Proh Phoebe mendax! fata superavit tua: Bis nupta regi est, bis suos auxit toros; Orbisque domini sponsa et est domini parens. Te, te merentem iam fide iustum manet, Materniane, praemium, solvam tibi Dignumque, quod det Caesar et amicus ferat.	855
	Est urbs aviti clara structoris manu, Struxit Philippi natus; Aegipto praeest Vrbs domina toto, quam super Nilus ruens Caerulea turbat ore septeno vada.	860
	Hic nostra populo iura Niliaco dabis Non ficta regis umbra: tibi fasces suos Tuoque mittet colla barbaries iugo. Sed eamus, ardens properat ad thalamos amor;	865
	Quem si fovere desinas, citius cadit Brevique vires perdit extinctus suas.	870
	<i>Exeunt omnes excepto Materniano.</i>	

<Scena quinta>

Maternianus *solas*

Mat.	Superum relictus reboat in coelum locus Votis secundans: aetheris summi pater Nymphae loquaces aeris extendat sonos, Atlasque stellis altius mittat caput Humerisque coelum tollat, ut pateat locus, Laribus supremas ora dum solvant preces. Io, Penates, tinget effusus crux, Libare quandam quem meo solitus Iovi, Iam vestra sacra; munus expendam recens	875
		880

Praefectus: hilares blanda et optatas feret
Fortuna grates. quae licet votum mora
Nostrum repressit, hanc tamen voti moram
Augustus inhibet animus, et dando manus
Prodiga rependit, quod sacer vultu probans
Titan salutat mane faelices choros, 885
Macrine, nostros citius, at sero tuos.
Est urbs avita, splendor Aegipti, decor
Orbis, potentum plena, bellorum potens.
Ignosce, Roma; parce, Nativum solum,
Praeconis animo. lingua canabit tua 890
Non laude tenui facta maternum decus.
Sed ecce, taedis fulget Hymeneiis domus,
Adventat ingens strepitus, exultat chorus;
Amans ovansque semper impatiens morae.
Discede, regi Roma vix uni satis;
Aegipite, venio: porta, Praefecto pate. 895
Vnum remitto Laribus hoc longum vale

E regione exit

<Scena sexta>

Antoninus, Iulia, Messala, Sabinus, Consules, Audentius,
Macrinus, Senatus, Pueri hymnum canentes

Hymnus primus

- | | | |
|------|---|-----|
| I. | Eia prome faces, Hymen, micantes,
Eia prome has, Hymen, lucernas,
Ingens ut properet caterva coeli;
Sed taedis properet tuis vocata. | 900 |
| II. | Adsit numine Iupiter, secundo
Adsit nec cupiat optetque sponsam;
Parcat luminibus parum pudicis,
Ne castam violet videndo nuptam. | 905 |
| III. | Tantosque ut reprimat Tonantis ignes,
Accedat melior Tonante Iuno. | |
| IV. | Et pulchris veniat Diana nymphis,
Sed pulchris timeat Diana nymphis, | 910 |

- Ne vincat dea castior pudorem,
Quanto lumina Sol minora vincit.
- V. Omnisque aethereae corona turbae
Stipare et vacet et vacet videre.
- VI. Sed quid numina? si Cupido nostris, 915
Si nostris aderit Cupido taedis,
Hic nobis Hymen, est et hic deorum,
Quisquis est superum venustiorum.
- VII Huc adsis, puer, adsis o petiae
Coeli deliciae solique cura. 920
His solus meruit praeesse taedis,
Qui solus meruit praeesse divis.
- Ant. Veneranda superum, castior coeli cohors,
Vos, qui probatis facta spectando mea,
Probando iusta facitis: in nuptos cadant 925
Geminata coeli dona et, hic quicquid petat
Melior maritus, sponsa vel melior, ferant.
Citherea formam tribuat, et tribuant suum
Charites decorem; det deorum princeps opes,
Vt nupta sponsas superet, ut sponsus viros. 930
Et iniqua binos prima cum fecit parens,
Mens una in uno casta coniungat toro;
Nec lotos undas plus amet, myrtus lacus.
Laetare, nupta, vita, lux, Phoebe mei
Terrena regni, castior Phoebe dea, 935
Laetare: nivea grandis optabit frui
Forma Senatus; thusque cum superis dabis
Arasque gratum sparget albentes merum,
Quam turpe dona corpore in tanto sua
Superi invidebunt! Iupiter capitis decus
Mundique curam ponet, ut subeat tua;
Celeresque Phoebus aethere in medio suos
Sistet iugales, non ut accipiat tua
Vota et secundet, vota sed faciat tibi.
Sic petere Phoebo, petere sic magno placet 940
Thalamos Tonanti, qui licet cupiunt, tamen
Dum non potiri liceat, extinctam velint.
Bene est, minentur; coelites pudeat deos
Fecisse talem, dummodo tali fruar.

Inter canendum exit.

Hymnus secundus

- I. Tu, qui lucifera syderibus face 950
Et Phoebe simili lumina dividis,
Cursus siste tuos; heu, celeres nimis
Sistas, Phoebe, rotas. annue, Iupiter:
Nec sol emineat, luna nec occidat.
- II. Et mundum gravior detineat quies, 955
Et, quem stare diu non solitum vidit
Nox, coelum stupeat; cui superum cohors,
Cui terrae atque homines, cui mare servient,
Illum nox solita non pariat vice.

Actus quartus <Scena prima>

Antoninus, Getae Vmbra

Vmb.	960
Adhuc nefandae consiam caedis manum, In nostra inertem vulnera ac telum leve, Culpare dubitas? ecce, visurus tua Coniugia, frater, venio; qui scelere occidi, Scelere resurgo. maius at revocat scelus, Minus peremit, sic vetus vincit novum. Quid? innocentem dextera fratrem tua Periisse dubitas? teque vix credes adhuc Patrasse facinus, cuius immensam luem Vix expiabit ignibus Phlegethon suis? Non ista dubitat neve deceptus sua est Rhadamanthus urna, meque non fallunt tuis Angusta poenis Tartara, ubi miserum manet Non iecur inertis Tityi tundens avis; Hoc vile monstrum est. Sisyphi aut vanus labor; Hoc usitatum est. tale supplicium tibi Parat Megaera, quale punitos suas Amare poenas doceat; et quale hactenus Tulisse quenquam senior haud meminit Charon. Sed quo ruinae certior constet fides, En, mecum Erinnes pronubas thalami traho Atram ferentes igne Phleg<eth>ontis facem; Pariterque ad astra Ditis emergit chorus. Superos fugastis: iamque ponderibus novis Lassata torpent sydera et, tanquam tuo Sceleri faverent, differunt coelo diem Noctemque talem prorogant, qualem impiis Thalamis opacam spissior nostris tegit Caligo tenebris. pergito, et, cuius fuit Nox ipsa factis nigror, fiat dies Eius ruina clarior, quando undique Lucebit ardens principis miseri rogus, Quando iacebit corpus homicidae efferi, Incesti, inertis, quando fatorum ultio Tandem sub uno principe extincto obruet Centum nocentes. grande portentum! putas Inulta facere, quanta securus facis? Licitamne speras fratris insontis necem	960 965 970 975 980 985 990 995

Tibi fore, quando factus es fratris parens?
 Quamvis licerent caetera, hoc saltem tibi
 Licuisse nunquam debuit: matris toros
 Vel ipsa timeat, si qua sit gens tam fera,
 Vbi mensa similes ponit epulanti dapes.
 Quod si nefandum tanta torquere incipit
 Libido pectus, esto, saevarum impio
 Ritu ferarum, polluat coniux tuos
 Centena thalamos, saepe lassari licet
 Te unum inter omnes, dummodo non sit tamen
 Vna inter omnes. fabula infelix pias
 Vbique Thebas damnat, incesti licet
 Non sponte sceleris; ad tuos matrem toros
 Notam et coactam recipis: erroris miser
 Supplicia solvit Oedipus, poenas tibi
 Superesse dubitas? vado, ut infernae Stygis
 Pro te paretur cymba, Rhadamanthi forum
 Vacuetur omni lite in adventum tuum. 1005

Exit umbra.

Ant. Maneto, gressum siste; iam veniam comes,
 Tecum ibo ad Orcum. siste, venturo viam
 Ostende. nunquid vigilo? vel somnus meos
 Iam ludit oculos? vigilo, sed coniux ubi est?
 Quis nocte nobis coniugem prima abstulit? 1020
 Agnosco, manes, frater, agnosco tuos;
 Tu, tu reversus fratre ab infesto tuam
 Matrem revallis; ibo, raptorem sequar
 Sponsamque in ipso Tartaro amplexu extraham.
 Quid tantum ad atras Ditis inferni domos
 Properare cupio, quo nimis subito ferar? 1025
 Nunquid parari gravia non dixit mihi
 Supplicia frater? nonne moriturum brevi
 Praedixit? esto, funere et poenis meis
 Laetare, frater; funera et poenas tamen
 Non patiar istas: si quis imperio dolos
 Mihique nectit, tutius fulmen Iovi
 Auferre poterit, quam meum feriet caput. 1030

<Scena secunda>

Antoninus, Rufus

- Ruf. Quinam iste, Caesar, horridi vultus furor?
Quae monstra terrent?
- Ant. monstra quae terrent, rogas? 1035
Tu, Rufe, monstrum, sponsaque est monstrum nova,
Ego ipse monstrum; quodque monstrum est maximum,
Cum monstra tot sint, nulla me monstra obruant.
Nullusne vivit Hercules, tantam illico
Qui perimat Hydram? vivit, at latitat tamen. 1040
Quod si liceret nosse victorem meum,
Non sic abiret.
- Ruf. anne victorem petis?
Nemo est nisi ipse; sordidum vincas metum,
Vincas furorem: Roma succumbet tibi,
Tarpeia summi saxa dum stabunt patris. 1045
- Ant. Homicida mendax, imminet letum; tuo
Frater petitus ense vindictam petit
Et me ruinae devovet. qualis fero
Laceratus ictu, sanguinem fundens suum
Ante ora nostra cecidit, en, talis mihi 1050
Nocte hac nefanda rediit: immanes dolos
Et rapta inique sceptrta taedasque impias
Et cuncta scelera voce non fausta obiciens,
Turpem minatus exitum et poenas graves.
Sed ista merita ac levia; quod merui, minus 1055
Magisque terret, tacuit authorem necis.
- Ruf. Magnanime Caesar, fraudis authorem edere
Mea cura fiet, artis nostrae labor.
Hunc si supremo Iupiter coelo locet
Et proditorem fulmine opposito tegat, 1060
Penetrabo coelum; fata Letheis licet
Inimica miserum nomen immergant vadis,
Manes vocabo, triste qui pudent nefas.
Est mons ab omni vocis humanae sono
Seclusus, altae verticis cani nives
- 1065
Minitantur astris frigora, ex illis putes
Cecidisse coelum montibus; denso agmine
Stat sylva circum solibus tangi locum
Passura nullis, arborum rami tamen
Orbantur avibus, littoris muti comes
- 1070
Aspirat udus fronde deserta Notus.

Hic binae opaco rupis excelsae specu
 Vivunt sorores; tertiam similem timet
 Natura parere, ne Stygis regnum occupent
 Triumque teneant trina Furiarum loca.
 Meque una docuit carmine arcano inferas
 Movere sedes manium vimque impiam
 Inferre superis; has ego accersam tibi.
 Vltraque Ditem si quid aut superos latet,
 Iam, iam patebit.

1075

Ant. macte, consilium probo;
 Et si quid Hammon, solus Afrorum deus,
 Proferre veri poterit, excutiam dolos.
 Materniano munus Aegiptum dedi;
 Si nostra meritas munera invenient vices,
 Curabit ipse, ne qua vis subita opprimat.
 Ad hunc parabo literas; tuque interim
 Accerse socias. cuncta quo melius cadant,
 Supplicia scelerum Laetus hortator dabit.

1080

1085

Exeunt.

<Scena tertia>

Iulia, Macrinus, Assecla

Iul. Macrine, si quid praescios veri deos,
 Phoeboea si quid antra, fatidicam Themin
 Latere potuit, luctuum, credo, latet
 Numerus meorum: non satis superi putant
 Auferre miserae coniugem, natum, omnia;
 Reddendo gravius puniunt. postquam semel
 Periisse natum comperi, hoc tantum anxie
 Superos precabar, sede ut Elisea quies
 Daretur umbrae; sed nec Eliseis datur
 Requies in arvis, nec tamen superos semel
 Liquisse satis est: rediit, ut rursus nece
 Caderet secunda.

1090

1095

Macr. quale portentum mihi,
 Augusta, narras? pande tam subitas novi
 Causas timoris, gravia narranti excidunt.
 Licet tacerem, tectus in lucem dolor
 Sese ipse tandem pectore angusto eruet.
 Quod si meorum luctuum tristem petis,

1100

1105

- Macrine, seriem noscere, narrabo libens.
 Nondum nefandae noctis ingemuit moras
 Cristatus ales, obrutis nostris gravi
 Sopore membris, cum per obscuram domum
 Ante ora nati lurida effigies venit,
 Gestans cruenta pallidam dextra facem.
 Quaenam ora, quales praetulit vultu minas?
 Etiam ipsa forsan haeseram noti diu
 Oblita vultus: tantus extiterat furor.
 Non talis aderat, qualis extincti patris
 Augustus haeres, purpura et sceptro nitens;
 Cruor, ecce, supplet purpuram, sceptrum faces.
 Iam fratre viso territus fugit toro
 Caracalla, paulum constitit, demum loqui
 Conatur, ore verba luctanti excidunt.
 Tandem profugit, sequitur ultrices trahens
 Secum sorores umbra. me postquam sopor
 Timidam reliquit, misera sperabam diu
 Fore, quae timebam, ficta; cum primum tamen
 Abiisse sponsum comperi, perstat fides
 Somni prioris, si tamen somnus fuit.
- Macr. Ecquid sepultos rursus ad superos putas
 Redire cineres? ecquid infelix times,
 Quae timida fingis? mortuos quantum prodest
 Tradi sepulchro, fata si miseros iubent
 In morte vitam sumere? aut faciet nihil,
 Quem mors peremit, ipsa vel mors est nihil.
 Sin tantum inanis terret effigies tuum,
 Augusta, pectus, Caesarem quando alloqui
 Nobis licebit, istos penitus excutiam metus.
- Iul. Iterum reversus se licet noctu affore
 Natus negaret, vix, puto, nati fides
 In hoc valeret. sed tamen perge, obsecro,
 Et quaere, tanta nunquid et sponsum simul
 Portenta terrent? ipsa sollicitas preces
 Ornate supplices manibus fundam tuis.
- Intrat Assecla.*
- Ass. Augusta, monstris territus Caesar novis,
 Matrem per omes clamat infelix locos
 Et fratris umbras sede ab inferna vocans
 Tristi nefandum devovet Laeto caput.
 Succurre, tantum blanda compescas metum.
- Exeunt Iulia et Assecla.*
- Macr. Vulgus silentum tuque Tartarei potens
 Regina regni, parce, si vestro mea

Nocuere verba numini. agnosco Stygis
 Cymbam capacem, sede in Elisea pios
 Iacere credo, manibus tandem impiis
 Non defuturas credo Furiarum faces.
 Fateor, negabam funere et morte obrutos
 Superesse manes, ista quo citius cadens
 Secura tristes subeat Acherontis domos. 1150

Exit.

1155

<Scena quarta>

Laetus, Milites, Venefica I.

Laet. Manete: voces, sinite, ut effundam ultimas;
 Statimque moriar. afforet misero licet
 Vel ipse Caesar, pauca morituro loqui
 Liceret.

Mil. esto: loquere, sed propera tamen.
 Quodcunque princeps iussit, haud patitur moram. 1160

Laet. Genitor deorum! coelitum faelix cohors!
 Aeterna divisorum turba! tu mundi decus
 Radiante curru dividens populo diem!
 Vos reliqua coeli sydera, haud unquam mihi
 Videnda posthac! noctis infernae Chaos! 1165

Et qui profunda tertiae sortis loca
 Sceptro gubernas! caecaque umbrarum domus,
 Ad quam remittor: verba perituri, precor,
 Audite; vestram testor infaelix fidem.

Et tu cruore regis irati cinis
 Placande nostro, manibus si quas meis
 Poenas parasti, macte: me poenas libens
 Meruisse fateor pessimas; poenas tamen
 Non ipse merui solus, accedat comes
 Sociusque poenae, qui fuit sceleris comes. 1175

Luet ille solus scelera, qui monuit nefas,
 Non qui peregit? tela nocuerunt tibi
 Fraterna, miserum sola fecerunt mea
 Me verba nocuum. moriar et ferrum obvio
 Iugulo retundam, Tartara et manes petam;

Quod si necari dignus est, quisquis feros
 Ad scelera movit principes, totos brevi
 Turbae nocentum Tartari implebunt sinus, 1180

	Regnique inertis limites nullam piis Tradent quietem, nullus aut fiet pius. Sed quid morabor? sanguis infestus tuam Satiabit umbram, Geta; si fusum impie Cruor expiabit sanguinem, capias meum.	1185
Ven. I.	Adsint, et undas saeva Danaidum cohors Haurire tandem desinat: plenas crux Iam faciet urnas. sanguinis si quid manus Infirma perdet, gutture hunc trino licet Stygiae paludis rabidus arripiat canis. Iam morere!	1190
	<i>Occiditur Laetus.</i>	
	toto sanguine effuso potes Latere cunctos umbra pallidior deos.	1195
	<i>Exit carnifex cum cadavere.</i>	
	Hecate trifloris noxque et aeternum Chaos, Adeste! sacris conscia adspirent meis Iurata coelo flumina! infaustae Stygis Omen nefandum, luctifer bubo, veni! Emerget omne Tartarum, ut vacua Styge Geta hunc cruentum solus inimicum bibat.	1200

<Scena quinta>

Antoninus, Audentius, Macrinus, Rufus,
Venefica I., II., Vmbra Commodo, Severi,
Nuncius Alexandrinus

Ruf.	Auguste, si quid abditum quaeri velis, Dudum parantur sacra, iam restat nihil, Nisi ut ipse dicas, cuius ad superos cupis Revocare manes. iusseris toto licet Aperire mundo Tartarum et lucem diu Vmbris perosam tradere, hoc nostrum potest Efficere carmen. fare, quid fieri iubes.	1205
Ant.	Si quos vocabis inferos, miseros voca Similesque nostri, si tenent similem mei Inferna quenquam regna; si nusquam parem Reperi poteris, sede ab inferna impios Vocate saltem Caesares. quisquis nocens De plebe vixit, nescit hic poenae modum,	1210

- Quem nos meremur. Commodo manes voca
Patrisque: soli crimen hi norunt meum
Noruntque poenam. 1215
- Ruf. pergit, incipiant preces.
At tu nocentes sparge verbenas prius
Atrosque succos, quasque, cum vidi polos,
Infecit herbas spuma Tartarei canis. 1220
- Veneficae spargunt flores.*
- Flagrantis undae nauta, quem lassant meo
Manes vocati carmine, ad nostrum suam
Quando onere vacuo littus appulerit ratem,
Quoscunque manes evoco, illicita sinat
Remeare cymba; disque, qui gravibus praest 1225
Poenis nocentum, desinat tandem queri
Cessare poenam manibus nimium diu
Ad me reversis: manibus poenae sat est
Vidisse clarum lumine insueto diem.
Agite, nefandas audiat Phlegethon preces. 1230
Negligere nullus carmen audebit deus.
- V.I., II. Praefer accensam vocatis, saeva Tisyphone, facem
Manibus; per atra Ditis exitus pateat loca.
Animas Commodo et Severi ducito ad mundi atria,
Regiam sibi suisque petere funestam iube. 1235
- Surgunt et intrant Vmbrae.*
- Ruf. Ecce, ecce, veniunt; iamque cum primum domos
Linquunt silentes, murmure et sonitu student
Iovem aemulari, fundere aut saltem petunt
Stygii frementis horridas voces canis.
Commode, profare, fata quem statuant mori. 1240
- C. Vm. Quae tot scelestos, Roma, peperisti duces,
Laetare, sterilis omne consumpsit malum
Natura tandem, quicquid imperio tuo
Fuerat timendum; tale vix unquam dies
Visura monstrum est, quale nunc totus videt 1245
Patiturque mundus. cuncta sperabam miser
Cecidisse mecum scelera, sed cecidit mei
Pars nulla sceleris, semper accrescit malum.
At esto. quoniam scelera superasti mea,
Tibi tanta superest poena, quae superet meam. 1250
- S. Vm. Nondumne manes sufficit gravibus meas
Multare poenis? tota progenies luet
Scelus parentis? tanta vix nostri fuit
Pianda regni noxa, ut exitium petant
Vtriusque nati fata; sed merito tuum, 1255
Infanda Minos scelera cum volvit tua,

- Solet timere, ne queat meritas tibi
 Parare poenas. coniugis proprie solet
 Laudare amores, cum tui subeunt tori.
 Quod si doceri, fata quae statuant, cupis:
 Moriere; reliqua sede Tartarea scies. 1260
- Ruf. Manetis? an vos carmine ignoto hactenus
 Retinebo vinctos? ite, sed miseros sequar,
 Et, quae siletis, flagra Furiarum expriment.
- Ant. Adeone cunctos sola non latitant mea 1265
 Supplicia manes, flumina, ut, postquam bibant
 Lethaea, noscant, quale me solum decet
 Subire fatum? nunquid in poenas satis
 Ventura non sunt saecula et, quicquid necem
 Nostram sequetur temporis? vivus feram, 1270
 Quod nemo patitur mortuus? poena est mihi
 Meminisse poenam gravior, inferni tenent
 Quam claustra regni. damna quaecunque impios
 Inopina feriunt, levius incautos premunt.
 Sed lenta perimunt; esto. sed quoniam licet 1275
 Praenosse poenam, fortius manes petam;
 Et si placebit forte Tartareo Iovi
 Me puniendum tradere, Eumenidas petat
 Furiasque plures, poena ut affligant reos:
 Lassabo cunctas sceleris ultrices deas 1280
 Triumque fiam solus Eumenidum labor.
- Aud. Cur tantum inanes metuis umbrarum minas?
 Dum tu coactis vinculis digne premas,
 Metuenda Parthi terga, dum dominum colat
 Extrema mundi terra, quae tepido sinu 1285
 Solem calenti condit occiduum freto.
- Macr. Credisne, Caesar, iura fatorum rudes
 Praescire manes? an miser poenas times,
 Quas umbra tantum nuntiat? miseras puto
 Animas nocentum, sceleris immeriti pios
 Damnare solitas, scelera dum norunt sua. 1290
- Intrat Nuncius.*
- Nun. Maternianus, Caesar, impertit tibi
 Per has salutem literas.
- Ant. istas legat
 Macrinus; animus nescit in tantis malis
 Securus ista legere. Macrine, excipe. 1295
- Exeunt omnes excepto Macrino.*

<Scena sexta>

Macrinus *solus*

- Macr. Grates, benigne Iupiter, grates tibi,
 Fortuna, summas. si quid inimicus mihi
 Parare damni statuit, inveniam dolos;
 In his patebunt literis. sed quid lego?
 ‘Postquam vetusto more fatidico Iovi
 Mactata cecidit victima, e tacitis furens
 Aditis sacerdos talibus pandit deum:
 Arripere Ausonii sceptra infaelicia regni
 Maxima Macrini spes est, animoque nefandas
 Principis exequias ingrataque vulnera volvit.’
 1300
 Hoc te sacerdos docuit? haec Hammon tibi
 Responsa retulit? non sat insontem tibi est
 Damnare falsi criminis? pergis deorum
 Simulare mendax verba? quae nunquam Iovis
 Simulare Maenas potuit? an superos putem
 Deloquutos falsa? mendaces scio,
 Si tale quicquam praedicant. sed si tuus
 Mentitur ista livor, hoc saltem innocens
 Gaudere potero, credulus tantis dolis
 Quod ista princeps nescit et, si quid meae
 Vires valebunt, nesciet, donec feram
 Subitamque mortem sentiat; tuque inscius
 Te vera forsitan dicere invitum scies.
 1305
 1310
 1315

Actus quintus

<Scena prima>

Macrinus, Martialis

Macr.	Quousque, superi, vivet? et, nostris diu Satiatus umbris, debitum fato trahet Dudum cadaver? ulti mors dignum mori Scelerata refugit? et suis taedet Iovem Saevire telis? terra quod peperit nefas? Quod grande facinus? ut semel mundi parens Impendat ignes, dumque Vulcani manus Novos Tonanti reddit, extinguat suos. Sopita credo fata et immerito Iovem Regnare mundo, fronte dum torva minax Caracalla iugulis ludit et inultos metit A stirpe populos. misera gens, toto simul Damnata coelo, quos nec Hannibal's furor Et amanda nobis Trebia permistos darent Patriae favillis. grande solamen tulit Commune populi fatum et a multis quies Secura damnis; fata nunc omnes manent Indigna, quotquot regis unius furor Mori iubebit. quodque in aerumnis leve est, Vel flere nocuit, nec sua misero licet Miserum videri morte, nisi dum fit miser. O terra vitae prodiga! o fati nimis Securus orbis! solus ego, solus graves Patiar ruinas? damna me tantum petent? Coite gentes, saxa et incensas faces Iaculetur orbis; quisque quod patitur scelus,	1320
	Acepsit orbis; quisque quod patitur scelus, Patientur omnes. fata non tollit mora, Non fata lenit; ipse quod sensim ruit, Gravius peribit mundus et melius cadet. Nunc aequa ab ipso crimine exemplum petat Iustitia, quantas, proh, miser poenas dabit!	1330
Mart.	Mea me, Macrine, damna securum diu Fecere, nostra iam metus vincunt mala. Iacet peremptus frater et gravior iacet Vel fratre fama, dum breves auras traho. Pars melior aurae, vita, cum morior, mea Qua non periret vita; proh regis furor! Sic, ut peremptus certius caderem, cado	1335
		1340
		1345
		1350
		1355

	Bis interemptus: morior et mundo et mihi. Sed cur dolore vincor? et inanes meas Fundo querelas? damna cum nequeat miser Sanare, damna ferre constanter iuvat.	1360
Macr.	Haec, Martialis, mitte: degenerem timor Animum probabit. damna si te non movent Privata, saltem damna te moveant mea Patriaeque: populum, regna et insidias timet Caracalla nostras; quod timet facinus, ferat. Cur tam paratam nominis laudem fugis? Quin vota peragas? hoc erit pietas scelus, Pius homicida. perge, si vivis, tibi Erit ipsa splendor vita; si moreris, nihil Moriendo perdas: nam quid amittat, cui Vixisse damnum fuerit et lucrum mori?	1365
Mart.	Mandata peragam vestra, et optatas negat Cum vita laudes, has mihi fatum dabit.	1370
Macr.	Fiat, nec ullos voce sollicita deos; Tibi causa melior numen et maius tibi Numen erit ensis. citius hinc temet rape, Ne suspicentur facta; nunc princeps adest.	1375

<Scena secunda>

Antoninus, Macrinus

Ant.	Macrine, tandem fare: quid scribit suis Maternianus literis?	
Macr.	istis, rogas, Quid continetur literis? prorsus nihil Nisi pauca scribit verba et antiquam docet Morem sacrorum, quamque ad humanas preces Sit surdus Hammon, fataque haud nosci deum Potuisse vacuis, caede centena, focus.	1380
Ant.	Solos silentes esse credebam inferos. Silet, ecce, superum turba, nec liceat meos Praenosse casus. num timet mundi arbiter, Ne forte desit spiritus mortis modum Nostrae loquenti? fulmine et tonitru licet Tutus loquatur, nubibus ruptis sonet, Qua clade moriar, nec suum muto caput Recondat antro. sed tamen metuo nimis,	1385
		1390

Quod verba superum vera Macrinus tacet.
Nunquid, Macrine, nuncius praesto est?
Macr. adest.
Ant. Iube introire.
Exit Macrinus.

1395

fata quae misero imminent!
Metuuntne superi, tale si quicquam parant,
Narrare aperte? semper ambiguis solent
Lactare verbis? cuncta, quae frustra tacent,
Tandem licebit nosse, cum iugulum petet
Districtus ensis; et tamen frustra truces
Tentabit ictus, perditum ferri impetum
Iugulo repellam. si parat fulmen suum
Iniquus in me Iupiter, tutum caput
Vrbis ruina protegam, et subitos cruor
Extinguet ignes: morte quacunque obruar,
Ad Stygia nunquam regna sine sociis ferar.

1400

1405

<Scena terția>

Antoninus, Martialis Nuncii Alexandrini
vestibus indutus, Rufus, Milites

Ant. Accede, tune nuncius? quodnam novi
Maternianus?

Mart. literas, Caesar, dedi.

Ant. Nihilne praeter literas solas tibi
Mandavit istas? nonne, quae superum forent
Responsa, dixit?

Mart. vidimus, Caesar, Iovi
Grandes parari victimas, nondum tamen
Sua solvit ora Iupiter. sperat brevi
Maternianus, certa quod precibus dabunt
Responsa superi; tuque tunc, Caesar, novis
Tua fata nosces literis.

Ant. fatum sciam
Tunc, cum video; scilicet melius Iove
Hoc ipse novi. nescius fati deus,
Postquam peremptum viderit, forte indicet,
Qua clade perimar. imminet fatum mihi
Subitum ferumque, cuius ut citius feros

1410

1415

1420

- Praevertat ictus, debuit coeli cohors
 Dudum cruenta tincta Terrigenum nece
 Sumpsisse tela, debuit diro omine
 Terrere mundum Iupiter; solita ac levi
 Ruina nostra cadere non debet via. 1425
- Sed esto. surdos rursus aggrediar deos,
 Tu pauca vestro iussa Praefecto feres;
 Hic, dum paratas afferam tabulas, mane.
- Mart. Tuque hic manebis; quodque te superum pater 1430
 Docere renuit, improbe, hinc discas licet.
- Ant. Quis hic locus? quis ille, qui mundi videt
 Dominum iacentem? vincla quae miserum premunt?
 Nobisne onusta grande Sisyphium sedet
 Cervice saxum nec reluctantem sinit 1435
 Corpus supinum tollere? an volucris rota?
 Vel me ligatum Caucasi accepit latus?
 Verumne vulnus sentio? an Stygius furor
 Pectus nefandi concium sceleris vorat?
 Vtrumque miserum torquet et torquet magis,
 Quod, cum perirem, sordida occubui manu. 1440
- Mart. Nondum, scelesti, desinis nostram probris
 Lacerare famam? conspice authorem tuae,
 Scelerate, caedis; ecce, qua premeris manu.
Personam exuit.
- Non erubescis? nunquid, homicida impie, 1445
 Nondum fateris dexteram nostram tuo
 Non esse inertem funeri? en, fratri necem
 Hic vindicabit ictus, hoc laesam impetu
 Reparabo famam.
- Iterum percutit.*
- Ant. fama dum laesa est tibi,
 Ego perdo vitam; dumque tu quereris tuum
 Periisse fratrem, pereo. sed quoniam cado,
 Vtinam ruina premere potuissem Inferos
 Totaque ruptae mole telluris leves
 Obruere manes, tota ut eversa Styge
 Indigna reliquos anima concendat polos! 1455
- Expirat.*
- Mart. I, scande coelos, sydus accedens novum
 Augebis astra; te tamen proprio prius
 Cruore spargam, forte sanguineis polo
 Nitere maculis more stellarum potes.
- Intrat Rufus.*

Ruf.	Quid iste gemitus? quid velit subito domus Plangore resonans? Caesar occisus iacet? Vbi cladis author latitat? hunc, si quid mihi Artis nefandae restat, armatum licet Videndo perdam; noxia herbarum lue Vertam cruentas in suum iugulum manus.	1460
Mart.	Si te potentem credis herbarum, impie, Adhibere succos poteris, ut possis tuum Sanare vulnus.	1465
<i>Rufum occidit. intrant Milites.</i>		
Ruf.	perimor; ah, perimor miser.	
Mil.	Perimit.	
Mart.	quoniam principem cogor sequi, Ibo, ibo in ipsa persequar miserum Styge.	1470
<i>Corruit super corpus Antonini.</i>		

<Scena quarta>

Iulia, Milites

Iul.	Nondum impotentis ira Fortunae cadit? Nondum? nec una tot iacet miseris domus? Vtinam iaceret tota! post fatum viri Adhuc tremendum, triste post fatum Getae, Quae me vetaret esse securam, fuit	1475
	Res una, natus; qui licet cecidit mihi, Patriae dolendus, vota geminantur tamen, Interque luctus habeo, quod possum deos Adhuc rogare, postque tot clades, deos	
	Adhuc timere. misera! cum spores nihil,	1480
	Quantum est timere miserum! at hinc membra auferant Lanianda canibus. Iupiter digne premat Acheronte toto, noxiae supra caput Animae vagentur, dummodo tandem mihi	
	Accedat unum: moriar. hoc possum capi, Invicta reliquis; tela nam toties deus	1485
	Perdit nocendo, tela ut haud rursus premant Nisi non nocendo. subita mors miseris salus Et vita quaedam est, posse, cum cupias, mori. Hoc sors, hoc ipsum si negat fatum, dabo.	
	Ite, ite celeres, veniat et plangat simul Macrinus: acer fit levis socio dolor.	1490

- Mil. Iussa haud moramur vestra Macrino dare:
Exeunt Milites.
- Iul. Abeunte turba, tempus oblatum petit,
 Vt abirem et ipsa. quid trahi funus placet,
 Miserasque duco tristis exequias meas?
 Inter ruinas stirpis et semper novis
 Deflenda lacrymis funera et lacrymis meis
 Intrepida maneo? cur nigras superi faces
 Interque tantos, misera quos video, rogos
 Rogum invidebant? busta non mihimet peto
 Discreta reliquis, busta si reliquis dabunt;
 Quod si negantur, fata properabo mea
 Avidoque cineres ore ferventes bibam,
 Quo fiat ardens corpus, ut peream, rogus.
 Sic, dum cruentus facta miratur mea,
 Miseretur hostis, cumque supremos dabit
 Iam victa gemitus, clarius victor gemat.
 Sed quid moraris anima? quid socium dare
 Viro recusas? verus in flammis amor
 Cinereque melius fulget, ut clarae solent
 Iam iam cadentes pulchrius Phoebi faces.
 O qui merentes portitor manes, Charon,
 Servas vehisque: grandis expectet rates
 Onere soluto, dum potens opibus satis
 Regina venio, quod potens raro solet,
 Ad te tuosque comite non uno locos.
 Mihiique vires vel semel liceat tibi
 Praestare dextra, vel semel liceat: cadam.
- In ferrum cadit.*

<Scena quinta>

Macrinus, Agrippa, Rhetianus, Nemesianus et Milites

- Macr. Quis nuper orbi piceus incumbens vapor
 Infecit oras? quae tenet nostras domos
 Inferna facies? vincla credibile est canem
 Rupisse Stygium ferrea et hinc populum suam
 Traxisse saniem, dirus ut senior gerat
 Lassata conto brachia, immensa feret
 Dum cymba turbam? blanda, proh, quantas habet
 Fortuna vires, sive contemptus parat

	Expetere poenas seu parat regum pios Pensare mores! fata speravi manu Regi abstulisse, fata cum dederit meis Maiora votis. siste properatos nimis, Fortuna, honores; siste, quas nobis paras, Fortuna, palmas. vita ne claudat dies Regno superstes, fiat et gravior tuis Ruina donis. si tamen, rebus, velis, Credam secundis, brevior imperio cadat Et honore vita; maximo tanti est mihi Iacere regno.	1530
Agr.	fortis et vasti potens	
	Moderator orbis, causa quae pridem deos Fecit faventes, causa nunc eadem dabit Similes futuros. vota sed ponas tua, Opus est, crux, grande quo facinus cadat, Fortuna quod incepit: haec, multo nocens Quae scelere crevit, scelere rumpenda est domus.	1535
Macr.	Actum est, et ipsos constat has nostras manus Probasse superos, dum reos sceleris deum Cortina peragit, peragit et sceleris reos Inferna rabies, quos Chaos vastum obruit, Nox scelere digna, dignus et thalamis locus.	1540
Rhet.	Dimitte, Caesar, dira ut inferni cohors, Feralis acies, nata punire impios Et facere, sceleri grande supplicium ferat, Quod paveat Acheron, ipse quod maesti horreat Custos profundi. cura te patriae manet, Te cura populi, cuius accensus furor Nescit reponi. grande ne sceptrum ruat, Succurre; saepe valuit in crimen timor.	1545
Nem.	Satis iste patuit strepitus et notus satis Populi tumultus. saeviet procerum simul Plebisque murmur, non tamen primo furet; Sed saxa veluti littoris venti fragor Primus pererrat, antequam fluctus parat Coeli latentis ira, vel pontum timet Totoque trepidus nauta discedit mari.	1550
Macr.	Securus esto. sentient populus meam Patresque curam, sentiet mundus suum Gravius remitti pondus et, qui me malum Parendo novit, videat imperio pium.	1555
		1560
		1565

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegen die einzige vollständige Handschrift des ca. 1617-1619 aufgeführten Dramas (Ms. Rawlinson C 590 [B = Bodleiana, Oxford], leicht zugänglich durch die Faksimile-Edition von Binns [1983]) und die zweisprachigen Ausgaben von Mahaney/Sherwin bzw. Sherwin/Freyman (1976, Text bzw. Übersetzung) und Baumann (1984). Für ausführliche Angaben zu der von vier Schreibern stammenden Handschrift mit ihren Korrekturen, Umarbeitungen und Ergänzungen (so besonders für die Rollen von Assecla, Audentius, Geta) und zu einer weiteren unvollständige Handschrift, wohl eine Schauspielerkopie der Rolle des Antoninus (Ms. Thr. 10,1ff. 8-19 [H = Harvard University]) vgl. die ausführlichen Angaben und Fehlerlisten bei Mahaney/Sherwin S.1-9, 23-30 und Baumann S.15f., 105-107.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch im Gegensatz zu den beiden bislang vorliegenden Editionen überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* (*volvit* statt *voluit*, *solvit* statt *soluit* [1256, 1305, 1413 - auch gegen die beiden Übersetzungen]) sowie *Aegiptum* statt *Aegyptum* (1083), *caetera* statt *cetera* (999), *coel-* statt *cael-* (15, 20, 29, 51, 62, 67, 138, 162, 516, 526, 551, 568, 872, 876, 901, 923, 926, 957, 985, 1059, 1061, 1067, 1198, 1331, 1456), *copta* statt *cepta* (301), *-fael-* statt *-fel-/foel-* (886, 1008; 338, 1303), *-fraen-* statt *-fren-* (390, 447, 728, 742), *nuncius* statt *nuntius* (1394, 1407), *nunquid* statt *numquid* (1268), *syd-* statt *sid-* (115, 950, 984), *Tisypnone* statt *Tisiphone* (150). Groß geschrieben wurde: 2 *Lares*, 4 *Penates*, 11 *Senatus*, v57 *Consules*, 58 *Senatum*, 102 *Consul*, 110 *Consul*, 110 *Senatus*, 509 *Chaos*, v598 *Militum*, 897 *Praefecto*, v960 *Vmbra*, 1075 *Furiarum*, 1152 *Furiarum*, 1180 *Tartara* (auch Mahaney, Baumann), v1407 *Nuncii*; klein dagegen: 25 *urnae*, 528 *nulla*, 589 *deus*, 599 *deus*, 647 *terra*, 770 *princeps*, 771 *princeps*, 929 *princeps*, 982 *chorus*, 1147 *tuque*, 1272 *inferni*, 1302 *deum*, 1319 *superi*, 1550 *inferni*. Beibehalten wurde *Imperium* neben *imperium*.

Das Darstellerverzeichnis wurde ergänzt; die Erläuterungen wurden von den Darstellernennungen vor den Szenen übernommen und dort gestrichen (1,1 *Imperatores*, *mater Imperatorum*, *Praefecti*, *Asper*, *Asper*, *Consules*, 1,2 *cives* [durch Klammermarkierung im Original eindeutig nur Erläuterung, keine weiteren Darsteller; bei Baumann missverständlich], 1,3 *Consul*). Die innerhalb der Akte lediglich am Rand durchgezählten Auftritte wurden hier als *Scenae* ergänzt; die handschriftlich am Rand gegebenen und auch bei Mahaney dort gedruckten Regieanweisungen wurden wie bei Baumann im Text eingeschoben. Ausgeschrieben wurde 219 *Praefecti* statt *Praef.*; v1147 *Iulia* statt *Iul:*; v1468b *occidit* statt *occid:*; abgekürzt wurde 1232 *V. I., II.* statt *Venef: amb:*. Die Reihenfolge der Darsteller wurde geordnet 3,2 statt *IMaeMat*, am Ende der Akte wurde jeweils gestrichen *Finis Actus Primi, secundi, Terti, Quarti*.

- 5 *domina rerum* B^c, Mahaney, Baumann statt *domina, salve* B, H
- 6 *proceres avete* B^c, Mahaney, Baumann statt *salvete proceres* B, H
- 28 *faceret* Mahaney, Baumann statt *faceretd* B
- 50 *victrice* B^c, Mahaney, Baumann statt *ultrice* B
- 51 *desere* B, Baumann statt *deseri* Mahaney
- 70 *mora* B^c, Mahaney, Baumann statt *moram* B
- 88 *exagitat* B^c, Mahaney, Baumann statt *exgitat* B
- 95 *Caracallae* B, Baumann statt *Caracalla* Mahaney
- 130 *merito* Baumann statt *metito* B, Mahaney
- 148 *Pap.* ergänzt Mahaney, Baumann
- 163 *vorasse* Mahaney, Baumann; B unleserlich
- 184 *necem* B^c, Mahaney, Baumann statt *moram* B
- 228 *spatosus* B, Mahaney, Baumann statt *spaciosus* H
- 242 *necem* B, Mahaney, Baumann statt *neem* H
- 254 *quo manus* B, Mahaney, Baumann statt *quo minus* H
- 254 *ferox* B, Mahaney, Baumann statt *furor* H
- 271 *poenae culpa* B, Mahaney, Baumann statt *culpae poena* H
- 279 *refugis* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *refugit* B
- 282 *si quid ulterius* B, Mahaney, Baumann statt *quicquid ulterius* H
- 326 *istud* B^c, Mahaney, Baumann statt *octius* B, H
- 357 *cum* B, Mahaney statt *dum* H, Baumann
- 357 *propior* Mahaney, Baumann statt *proprior* B
- 372 *nec* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *et* B
- 374 *timeres* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *dolores* B
- 380 *ibo* B, Mahaney, Baumann statt *iibo* H
- n380 *accedit et pugione traiicit* B, Mahaney, Baumann statt *Get. occi.* H
- 381 *tecum dona* B, Mahaney, Baumann statt *dona tecum* H

- 390 *fraena* H statt *frena* B, Mahaney, Baumann
 407 *qua* B, Mahaney, Baumann statt *quam* H
 410 *patriae* Beck statt *patria* B, Mahaney, Baumann
 421 *fiant* B, Mahaney, Baumann statt *fient* H
 422 *igni* B, Mahaney, Baumann statt *igne* H
 n432 *exit Rufus cum cadavere* B, Mahaney, Baumann; ausgelassen in H
 n442 *exit Antoninus* B, Mahaney, Baumann statt *exit* H
 463 *plus quam* Baumann statt *plusquam* B, Mahaney
 473 *Danaidum* Mahaney, Baumann statt *Daniadum* B
 521 *fato* Beck statt *fatu* B, Mahaney, Baumann
 542 *adesto* B, Mahaney statt *adeste* Baumann
 564 *pepulit* B^c, Mahaney, Baumann statt *feriit* B, H
 566 *intrat Antoninus cum ceteris* B, Mahaney, Baumann statt *Ant: intrat* H
 576 *iste* B, Mahaney, Baumann statt *ille* H
 581 *citius* B^c, H^c, Mahaney, Baumann statt *occyius* B, H
 595 *plectibus populus luit* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *plectibur princeps reos* B
 596 *poenis meas* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *quantum potest* B
 597 *exhaurit* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *extendit* B
 612 *urbem* B, Mahaney, Baumann statt *urbes* H
 n617 *exeunt ... Materniano* B, Mahaney, Baumann statt *exit* H
 626 *armatas* B, Mahaney statt *armatus* Baumann
 654 *multa* B^c, Mahaney, Baumann statt *pulchra* B
 688 *magnis rebus* Mahaney, Baumann; B unleserlich
 720 *proli Roma* B^c, Mahaney, Baumann statt *Roma proli* B
 733 *malignas* B, Baumann statt *malignos* Mahaney
 741 *nobis* B^c, Mahaney, Baumann statt *regis* B
 746 *huc* Mahaney, Baumann statt *hunc* B
 748 *cedit* B^c, Mahaney, Baumann statt *cadir* B
 773 *excelsissimum* H, Mahaney, Baumann statt *exelcissimum* B
 785 *pectori ... meo* M, Mahaney, Baumann statt *ammo*, verbessert zu *gravius ... mihi* H
 804 *meas* B, Mahaney, Baumann statt *meos* H
 805 *extinguet* B, Mahaney, Baumann statt *extinguat* H
 807 *aqua* B, Mahaney, Baumann statt *unda* H
 810 *dulcis* B, Mahaney, Baumann statt *dulce* H
 814 *leves crescent* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *suas gemmat* B
 815 *protrahuntur* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *protrahatur* B
 827 *meus* B, Mahaney, Baumann statt *mei* H
 829 *Ass:* B^c, Mahaney, Baumann statt *Ruf:* B, H
 829 *est* B^c, H, Mahaney, Baumann; ausgelassen in B
 836 *timenda* B, Mahaney, Baumann statt *timenenda* H
 849 *matrique* B^c, Mahaney, Baumann statt *mratrique* H^c, *fratrique* B, H
 863 *Aegipto* B, Mahaney, Baumann statt *Aegypto* H
 864 *ruens* B, Mahaney, Baumann statt *fluens* H
 n871 *exeunt ... Materniano* B, Mahaney, Baumann statt *exit* H
 879 *libare quondam* B^c, Mahaney, Baumann statt *iam vestra sacra* B
 880 *iam vestra sacra* B^c, Mahaney, Baumann statt *quondam libare* B
 883 *voti* B^c, Mahaney, Baumann statt *dando* B
 886 *choros* Mahaney, Baumann statt *cohoros* B
 893 *Hymeneis* Mahaney, Baumann statt *Hymineis* B
 v899 *Consules* Baumann statt *Cons:* B Mahaney
 904 *sponsam* B statt *sponsum* Mahaney, Baumann
 919 *huc* B, Baumann statt *hui* Mahaney
 928 *Citherea* B, Mahaney, Baumann statt *Cytharea* H
 929 *decorem* B, Mahaney, Baumann statt *docorem* H
 931 *iniqua* H, Mahaney, Baumann statt *inqua* B
 933 *lacus* B^c, H, Mahaney, Baumann statt *lacas* B
 947 *velint* B, Mahaney, Baumann statt *volunt* H
 949 *fecisse* B, Mahaney, Baumann statt *faecisse* H
 n949 *inter canendum exit* H, Mahaney, Baumann; ausgelassen in B
 969 *Phlegethon* Mahaney, Baumann statt *Phlegeton* B
 981 *Phlegethontis* Mahaney, Baumann statt *Phlegontis* B
 989 *nigror* B, Baumann statt *negrior* Mahaney
 989 *fiat* B^c, Mahaney, Baumann statt *eius* B
 990 *eius* B^c, Mahaney, Baumann statt *fiat* B
 1018 *vel* B, Mahaney, Baumann statt *an* H
 1027 *nunquid* H, Mahaney, Baumann statt *numquid* B
 1032 *tutius* B, Mahaney, Baumann statt *tutiius* H
 1040 *perimat* B, Mahaney, Baumann statt *perimet* H
 1046 *letum* B, Mahaney, Baumann statt *lethum* H

1047	<i>petitus</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>peremptus</i> H
1053	<i>obiciens</i> Baumann statt <i>obiicens</i> B, Mahaney
n1088	<i>exeunt</i> H, Mahaney, Baumann; ausgelasen in B
1132	<i>aut</i> B ^c , Mahaney, Baumann statt <i>vel</i> B
1174	<i>accedat</i> Beck statt <i>accidat</i> B, Mahaney, Baumann
1177	<i>peregit</i> B ^c , Mahaney, Baumann statt <i>peremis</i> B
1189	<i>adsint</i> B ^c , Mahaney, Baumann statt <i>adsit</i> B
1189	<i>Danaidum</i> Mahaney, Baumann statt <i>Daniadum</i> B
1190	<i>plenas</i> Mahaney, Baumann statt <i>plinas</i> B
1198	<i>Stygis</i> Mahaney, Baumann statt <i>Strybis</i> B
1230	<i>Phlegei</i> Beck statt <i>Phlegethon</i> B, Mahaney, Baumann
1268	<i>satis</i> B ^c , H, Mahaney, Baumann statt <i>petis</i> B
1271	<i>quod</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>quaes</i> H
1274	<i>incautos</i> Beck statt <i>in cautos</i> B, Mahaney, Baumann
1276	<i>fortius</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>fortior</i> H
1278	<i>Eumenidas</i> H, Mahaney, Baumann statt <i>Eumendas</i> B
1278	<i>petat</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>paret</i> H
1286	<i>occiduum</i> Beck statt <i>occidum</i> Mahaney, Baumann; B unleserlich (<i>occid...</i>)
1294	<i>animus</i> B ^c , H, Mahaney, Baumann statt <i>animum</i> B
1295	<i>excipe</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>accipe</i> H
1310	<i>simulare</i> B ^c , Mahaney, Baumann statt <i>cogitare</i> B
1311	<i>deloquitos</i> Beck statt <i>de loquitos</i> B, Mahaney, Baumann
1315	<i>princeps</i> B ^c , Mahaney, Baumann; ausgelassen in B
1323	<i>telis</i> Mahaney, Baumann statt <i>taelis</i> B
1334	<i>multis</i> B ^c , Mahaney, Baumann statt <i>tantis</i> B
v1378	<i>V II</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>V III</i> H
1383	<i>deum</i> B statt <i>deorum</i> Mahaney, Baumann
1386	<i>turba</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>lingua</i> H
1393	<i>quod</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>ne</i> H
1397	<i>narrare</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>parare</i> H
1407	<i>quodnam</i> Beck statt <i>quod nam</i> B, Mahaney, Baumann
1420	<i>qua clade</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>quo morte</i> H
1422	<i>coeli</i> B, Mahaney, Baumann statt <i>coelis</i> H
1423	<i>cruenta</i> B ^c , Mahaney, Baumann statt <i>ferali</i> B, H
1423	<i>Terrigenum</i> B statt <i>Terrigenorum</i> Mahaney, <i>Terrigenarum</i> Baumann
1453	<i>ruptae</i> B ^c , H, Mahaney, Baumann statt <i>rupte</i> B
1455	<i>conscendat</i> B ^c , H, Mahaney, Baumann statt <i>conscenda</i> B
n1455	<i>expirat</i> H, Mahaney, Baumann; ausgelassen in B
1505	<i>peream</i> B ^c , Mahaney, Baumann statt <i>pereat</i> B
1541	<i>similes</i> B ^c , Mahaney, Baumann statt <i>talis</i> B
1546	<i>deum</i> B statt <i>deorum</i> Mahaney, Baumann

Für weitere handschriftliche Korrekturen in B und H - offensichtliche Fehler, aber auch bewusste Umarbeitung mit z. T. unleserlichem ursprünglichem Wortlaut - vgl. die Liste von Mahaney/Sherwin S.23-27.

'Komma' gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: 9, 20, 26, 33, 36, 41, 44, 45, 47, 48, 60, 78, 81, 83, 83, 84, 110, 111, 112, 116, 129, 138, 144, 193, 197, 232, 233, 259, 264, 283, 284, 289, 292, 295, 296, 300, 303, 306, 316, 319, 327, v337, 347, 354, 355, 374, 374, 375, 380, v381, 384, 386, 388, 390, 398, 431, 433, 434, 438, 448, 448, 450, 453, 477, 489, 491, 508, 510, 516, 521, 539, 541, 543, 569, 570, 572, 596, 606, 610, 611, 615, 620, 633, 647, 665, 668, 670, 693, 695, 695, 704, 708, 710, 714, 729, 742, 747, 761, 768, 770, 784, 786, 790, 790, 790, 801, 813, 819, 823, 825, 837, 848, 852, 858, 861, 870, 881, 884, 895, 904, 914, 926, 961, 970, 984, 985, 1036, 1047, 1051, 1052, 1052, 1055, 1074, 1077, 1079, 1143, 1147, 1157, 1180, 1206, 1209, 1216, 1234, v1236, 1237, 1269, 1305, 1315, 1329, 1331, 1343, 1347, 1357, 1363, 1364, 1371, 1375, 1381, 1435, 1440, 1488, 1497, 1498, 1499, 1503, 1514, v1520, 1523, 1528, 1536, 1558, 1563

'Komma' gestrichen nach: 14 *solusque*, 102 *Consul*, 110 *hoc*, 138 *salute*, 249 *miseros*, 320 *sclere*, 346 *fundata*, 365 *contempta*, 397 *agnus*, 397 *pavens*, 418 *moriens*, 439 *timendus*, 441 *turba*, 494 *vicit*, 494 *mora*, 523 *suis*, 545 *revulso*, 569 *veneranda*, 607 *tectos*, 620 *curru*, 648 *cadente*, 655 *hac*, 663 *et*, 664 *recisum*, 695 *ferox*, 721 *mater*, 735 *sorores*, 816 *cinere*, 879 *quondam*, 886 *Titan*, 924 *facta*, 976 *punitos*, 1279 *Furiaskue*, 1332 *Trebia*, 1360 *constanter*, 1459 *maculis*, 1475 *quaes*, 1498 *lacrymis*, 1561 *littoris*, 1565 *securus*

'Komma' ergänzt: 1, 3, 4, 4, 6, 8, 8, 10, 13 *iacuit*, 13 *en*, 15, 15, 16, 17 *obruant*, 20, 37, 42 *astra*, 51, 52, 53, 61, 61, 63, 64 *tellus*, 68, 82 *pande*, 82 *poteris*, 89, 100 *petit*, 102, 111, 113, 113, 114, 122, 122, 125, 125, 126, 127, 131, 131, 141, 143, 148, 148, 155, 160 *deorum*, 163, 164, 164, 165, 165, 167, 172 *manus*, 178 *ecce*, 180 *tamen*, 181 *fili*, 187, 188, 190 *noscam*, 191 *dolet*, 191 *Chilo*, 193 *magis*, 198, 200 *rogat*, 206, 215, 216, 218, 220, 238, 243 *fulmen*,

243 *vindex*, 246 *deos*, 248, 250, 251, 268 *agnosco*, 271, 278, 280 *vigoris*, 281, 282, 287 *fata*, 293, 294, 298, 304, 305, 308, 308, 310, 310, 311, 311, 313, 314 *ignave*, 324 *utaris*, 325 *et*, 331, 331, 331, 337 *Rufe*, 337 *perge*, 338 *secunda*, 344 *tu*, 357, 359 *eheu*, 361, 364 *sua*, 367, 371, 373, 374, 374, 376, 377, 378, 381, 381, 384, 391 *victus*, 391 *en*, 400, 407, 407, 407, 421, 421, 434, 435 *vosque*, 438, 444, 444, 446 *haud*, 446 *fuit*, 447, 449 *nate*, 450, 456, 464, 468, 478 *odia*, 478 *noceant*, 481 *vestri*, 481 *precor*, 483 *iubes*, 491, 496, 499 *fare*, 500, 501 *horret*, 503 *quies*, 518, 518, 520, 530, 533 *eloquere*, 535, 536 *leo*, 537, 537, 542 *adesto*, 546, 547, 552 *da*, *meorum*, 555, 555, 555, 559, 560, 563, 565, 565, 566, 569, 573, 575 *vos*, 575 *precamur*, 577, 578, 581 *citius*, 581 *dico*, 582, 585, 598 *senior*, 598 *Audenti*, 599, 599, 600 *aegre*, 602, 609 *istas*, 610 *sponte*, 614 *dolis*, 618 *Quirites*, 624, 625 *Macrine*, 629 *pertuli*, 630, 637 *pudor*, 640, 641, 652, 657, 649, 659, 681, 688, 690, 690, 692 *miti*, 698 *nervo*, 698 *puer*, 699, 700, 704 *et*, 709, 711, 714, 716 *tunc*, 718, 726, 735, 741, 748, 749, 750, 750, 752, 755 *et*, 756 *et*, 759, 759, 760 *ruerem*, 774 *agnosco*, 783, 790, 791, 791, 804 *Tethys*, 806, 807 *magis*, 819, 819, 821, 824, 826, 829, 836, 847, 849, 853 *te*, 859 *manet*, 860 *Materniane*, 861, 878 *cruor*, 879, 886, 887 *Macrine*, 890, 890, 890, 893 *ecce*, 897, 897, 899 *faces*, 899 *Hymen*, 900 *has*, 900 *Hymen*, 907, 915, 916, 917 *deorum*, 919 *adsis*, 921, 924, 926, 934 *laetare*, 935 *dea*, 950, 951, 952, 953, 953, 953, 956, 957 *nox*, 958 *servient*, 960, 961, 962, 963, 963, 963, 979, 980, 984, 985, 988, 988, 1001, 1001, 1013, 1021 *frater*, 1030, 1034, 1034, 1035, 1036 *tu*, 1036 *Rufe*, 1037, 1039, 1041, 1044, 1050 *en*, 1055, 1060, 1062, 1063, 1081, 1081, 1084, 1085, 1087, 1089, 1089, 1091 *luctuum*, 1091 *credo*, 1099, 1100, 1101, 1105, 1106 *Macrine*, 1117 *cruor*, 1117 *ecce*, 1124, 1124, 1128, 1131, 1133, 1134 *Augusta*, 1137 *vix*, 1137 *puto*, 1138, 1138, 1156, 1156, 1160, 1167, 1168, 1168, 1176 *nefas*, 1181, 1182, 1187, 1196, 1199 *bubo*, 1202, 1202, 1203 *nihil*, 1214 *modum*, 1219 *quasque*, 1219 *polos*, 1225, 1230, 1232, 1232, 1234, 1236 *ecce*, 1240 *Commode*, 1241, 1241, 1241, 1249, 1255, 1256, 1257, 1260, 1260, 1263 *ite*, 1264, 1264, 1266 *flumina*, 1266 *ut*, 1267 *noscant*, 1269, 1270, 1287 *credisne*, 1288, 1292, 1292, 1295, 1296 *grates*, 1296 *tibi*, 1297, 1311, 1315, 1319, 1319, 1319, 1339, 1345, 1346, 1349 *quantas*, 1349 *proh*, 1350, 1350, 1356 *sic*, 1361, 1361, 1369, 1378, 1379, 1379, 1386 *silet*, 1386 *ecce*, 1387, 1390, 1392, 1394, 1394, 1396, 1396, 1405, 1410, 1411 *responsa*, 1414, 1415, 1415, 1417, 1418, 1419, 1419, 1431 *improbe*, 1432, 1440, 1441, 1441, 1442, 1442, 1443, 1444, 1444, 1445, 1445, 1445, 1447, 1447, 1449, 1451, 1462, 1463, 1466, 1466, 1468, 1469, 1478, 1480, 1490 *fatum*, 1494 *petit*, 1500, 1500, 1505 *corpus*, 1506, 1506, 1513, 1513, 1515, 1516, 1516, 1526, 1526, 1531, 1532, 1532, 1533, 1533, 1535, 1535, 1535, 1541, 1542 *est*, 1542 *cadat*, 1543, 1548 *obruit*, 1550 *dimitte*, 1550 *cohors*, 1552 *ferat*, 1556, 1567

‘Komma’ statt ‘Punkt’: 197

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 285 *scelus*, 341, 418, 495, 725, 780, 815, 1014, 1154, 1183, 1316 *nesciet*, 1424

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 42 *retulit*, 227, 261, 274, 396, 511, 562, 643, 662, 788, 833, 834, 847, 876, 900 *lucernas*, 911, 924 *mea*, 943, 993, 1019, 1043, 1210, 1354 *aurae*, 1503, 1563

‘Komma’ statt ‘Fragezeichen’: 64 *deos*

‘Komma’ statt ‘Ausrufezeichen’: 1199, 1330, 1331

‘Punkt’ gestrichen: 11 *ferat*, 199 *diu*

‘Punkt’ ergänzt: 468, 655, 1159 *tamen*, 1217 *preces*, 1230, 1249, v1395b

‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 15, 31, 37, 53, 57, 63, 74, 94, 107, 144, 203, 230, 250, 268, 278, 281, 286, 289, 290, 293, 294, 298, 300, 316, 318, 322, 326, 329, 334, 335, 336, 347, 351, 361, 372, 374, 380, 387, 389, 415, 449, 451, 454, 463, 466, 476, 480, 487, 490, 498, 500, 512, 515, 523, 548, 560, 566, 597, 614, 622, 631, 632, 674, 679, 683, 696, 709, 731, 743, 764, 768, 772, 777, 779, 792, 812, 820, 824, 843, 849, 851, 889, 930, 964, 974, 975, 982, 988, 1008, 1048, 1054, 1078, 1104, 1138, 1149, 1157, 1191, 1208 *carmen*, 1213, 1258, 1295, 1297, 1312, 1330, 1345, 1376, 1395, 1402, 1413, 1418, 1427, 1444, 1451, 1480, 1485, 1488, 1495, 1531, 1535, 1541, 1554

‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 6, 246, 265, 271, 283, 353, 464, 526, 597, 625, 666, 748, 762, 805, 825, 1018, 1333, 1337, 1362, 1368, 1482, 1533, 1556, 1559, 1565

‘Punkt’ statt ‘Komma’: 35, 169, 201, 244, 288, 313, 359, 485 *auribus*, 580, 658, 690 *alite*, 719, 758, 801, 882, 891, 897, 1017, 1087, 1275, 1385

‘Punkt’ statt ‘Fragezeichen’: 831

‘Strichpunkt’ gestrichen: 414 *pestis*, 417 *moritur*, 620 *Phoebus*, 816 *vivit*, 850 *ibo*, 920 *deliciae*, 1327 *fata*, 1334 *fatum*

‘Strichpunkt’ ergänzt: 102, 308, 468, 863, 901, 1156

‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 5, 601, 941, 973

‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 12, 38, 162, 228, 239, 263, 266, 304, 327, 343, 349, 357, 360, 366, 371, 385, 426, 461, 525, 557, 561, 590, 650, 657, 771, 773, 800, 817, 834, 880, 894, 937, 957, 981, 1010, 1055, 1061, 1078, 1173, 1180, 1225, 1255, 1275, 1276, 1335, 1355, 1415, 1417, 1425, 1428, 1430, 1464, 1476, 1502

‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 16, 25, 34, 52, 76, 98, 105, 114, 117, 126, 132, 143, 158, 170, 182, 205, 207, 221, 244, 287, 293, 299, 313, 381, 386, 400, 422, 442, 444, 519, 528, 531, 533, 542, 612, 616, 627, 635, 640, 659, 672, 677, 683, 704, 712, 715, 739, 757, 779, 806,

830, 857, 869, 890, 896, 904, 948, 952, 963, 974, 1016, 1023, 1043, 1046, 1073, 1083, 1086, 1093, 1097, 1124, 1169, 1172, 1187, 1211, 1233, 1236, 1294, 1298, 1317, 1344, 1346, 1374, 1377, 1400, 1444, 1457, 1468, 1557

‘Doppelpunkt’ ergänzt: 6, 209, 953, 1260

‘Doppelpunkt’ statt ‘Punkt’: 43, 780, 1302

‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 346, 636, 897

‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 38, 115, 156, 229, 264, 305, 315, 436, 450, 453, 585, 657, 681, 737, 856, 936, 1011, 1099, 1159, 1168, 1216, 1378, 1485, 1492, 1519

‘Fragezeichen’ statt ‘Punkt’: 69

‘Fragezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 68, 460

‘Fragezeichen’ statt ‘Komma’: 1496

‘Ausrufezeichen’ gestrichen: 773 *excelsissimum*, 1196 *triformis*

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 71, 1455

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 301, 1194

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Komma’: 337

‘Anführungszeichen’ ergänzt: 1300ff.

‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’: 42f., 467, 494ff., 821

‘Klammern’ gestrichen um: 108 *meque ... dolet*, 148 *superi*, 467f. *haud ... scelestis*, 481 *precor*, 663f. *velut ... recisum*, 863 *struxit ... natus*, 879 *libare ... Iovi*, 1319 *superi*, 1500 *misera*, 1516 *quod ... solet*